DE LIBERIORE LINGUAE GRAECAE ET LATINAE COLLOCATIONE VERBORUM

CAPITA SELECTA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS BOLDT

HANNOVERANUS.

GOTTINGAE MDCCCLXXXIV.

CAROLO DILTHEYO

S.

Magna in verbis collocandis libertate linguam Graecam et Latinam uti omnibus in litteris antiquis obiter modo versatis est compertissimum. cum enim linguae recentiores in ordine verborum certis quibusdam legibus adstrictae sint, quas neglegere poetis solum licitum est, sed eis ipsis modice tantum, in veterum oratione, quae ex vernaculi sermonis indole coniungenda sunt arteque cohaerent, ea libere distracta et dissipata, quae a nobis distrahuntur et seiunguntur, ea coniuncta et consociata reperiuntur. nascebatur litteris antiquis haec vocabulorum libere disponendorum facultas partim e canoris illis vocum terminationibus, quibus quid quodque vocabulum ad sensum valeret, statim indicabatur. fuit nimirum haec eximia linguarum antiquarum praestantia, quod collocatio verborum minime e grammatica solum ratione apta erat; sic enim id maxime scriptores agebant, ut suavem elegantemque sonum efficerent et omnino orationis formam expressius ac significantius instituerent. itaque illas partes sententiae, quae pondere suo praevalerent, satis conspicuis locis collocarunt, ea quae minorem vim et gravitatem haberent, quasi seposuerunt et occultarunt, atque hoc pacto sermonem ipsum animi cogitationibus adaequarunt. tres igitur rationes in primis ad verborum dispositionem pertinent (cf. J. Chr. Jahn. annal. phil. 1845 p. 41 sqq.): primum quidem ratio grammatica sive logica, deinde ratio rhetorica, quae eo conspicitur, quod voces graviores etiam loco distinguuntur, atque cum initium et finis enuntiati maximam vim exerceant (cf. Quintil. IX 4, 29. 67) et notio in sede quam minime exspectaveris posita graviorem assequatur accentum, his locis praecipue collocantur; tertium denique euphonia sive vocalitas et rhythmus, quibus plena et sonora redditur oratio

et quadam suavitate perfunditur, quae miro quodam modo aures delectat. apud poetas accedit necessitas metri, quae et ipsa aliquid momenti habet in verbis disponendis. verum maxime cavendum est, ne in tali insolentiore consecutione animum nimis advertamus ad numerorum commoditatem, quasi poetae nesciverint elegantiam versuum cum sermonis elegantia coniungere. immo natura poesis iam per se ipsa, mente commota et assurgente aliquo modo oratione, ad liberiorem et solutam vocabulorum seriem invitabat. in universum igitur aestimantibus omnes a naturali et consueto verborum ordine aberrandi causae inde nobis petendae sunt, quod scriptores vel poetae verba quaedam insignire aut elegantiam artificiumque quaerere aut sonoram orationem ac rhythmum efficere aut denique metro subvenire studebant. quomodocunque autem res se habet, non infitiandum est 'hyperbato' seu 'traiectione', quibus nominibus insolentior verborum collocatio significatur, lectori impedimentum afferri. meliore condicione utitur auditor, qui in recitando aliquid commodi habet, cum bonum anagnosten vel cantorem deceat artificiosa quadam vocis modulatione et pausa intellectum adiuvare. verum usque id respiciendum est, num pauca et quasi pondere leviora, an complura et graviora vocabula interiecta sint. non enim nisi obiter verba necessitate inter se coniuncta distrahuntur eis, quae omni careant pondere; multo autem maiorem libertatem eis locis conspici apparet, ubi verbis artissimo notionis vinculo cohaerentibus ponderosa vocabula vel orationis membra sint interposita.

Huic liberiori Graecae et Romanae linguarum collocationi, quamvis eius observatio necessaria sit et at cognoscenda discrimina quibus tempora inter se distant et ad lectiones librorum diiudicandas, non satis curae impensum esse manifestum est. nam a plurimis haec res aut silentio praetermittitur aut summatim breviterque tangitur, a paucis ex parte adumbrata, a nemine tota pertractata est. itaque operae pretium facturi esse nobis videmur, si de hac parte paulo uberius disputabimus. atque video complures homines eruditos in hac terra tanquam

ignota procul errare et vagari, quod ad munus suscipiendum haud mediocre erat incitamentum. verum non est mihi in animo omnia traiectionum sive hyperbati genera in hanc commentationem colligere et coacervare. si enim e grammaticis sive logicis legibus enuntiata veterum scriptorum aestimare vellemus, multitudo eorum, in quibus hyperbaton statuendum est, fortasse maior appareret quam numerus illorum, quae sine ulla traiectione ordine naturali composita sunt. quare difficiliora et audaciora tantum respiciam, et cum ea praecipue in poesi inveniantur, hanc fere solam in quaestionem vocabo, quamquam hic illic etiam exempla e pedestri sermone petita afferam. atque in unaquaque harum partium, priusquam ad liberiorem collocationem transeam, minus insolentis quoque ordinis mentionem iniciam et ad variorum generum flexus transitusque animum advertam [1]).

Antequam vero im rem ipsam descendam, non omittam memorare ea, quae G. Hermannus (op. IV 284) et M. Hauptius de omnibus qui vocantur terminis technicis monuerunt. rectissime Hauptius (Belger, M. Haupt p. 151) in lectionibus haec notare solebat 'Ellipse, Pleonasmus, Enallage u. s. w. sind Phrasen, welche den Verstand aushöhlen; das Abthun der Erklärung mit solchen Kunstausdrücken ist nur für den, der die Sache nicht ergründet hat. Die Sprache ist ein Lebendiges und hat zu ihrer Basis Vorgänge in der lebendigen Menschenseele; diese zu erfassen, darauf kommt es an; wer sich mit dem Kunstausdrucke begnügt, ist dem zu vergleichen, der nur den Titel eines Buches kennt, ohne es selbst gelesen zu haben'. omni igitur ope et opera adnitendum est, ut in unoquoque insolentis verborum dispositionis genere vel etiam exemplo, quid voluerit auctor et quomodo id assecutus sit, clare appareat.

---

1) De collocatione verborum apud scriptores prosaicos cf. commentationes, quas composuit Huebnerus Grundriss zu Vorlesungen über die griech. Syntax (Berl. 1883) p. 88, Grundriss zu Vorlesungen über lat. Gram. (Berl. 1881) p. 97 et librum quem scripsit Blassius Attische Beredsamkeit I 217, II 129, 141, III^1 123, III^2 204, 217, 296. nec inutilis erit comparatio eorum, quae disputavit Delbrueckius die altindische Wortfolge, Halis 1878 (Syntakt. Forsch. III) p. 58 sqq.

neque eorum partes sectabimur, qui, dum nomine defunguntur, rem ipsam accuratius considerare neglegunt; quamquam brevitatis causa terminus grammaticus maxime est necessarius. verum non parvis difficultatibus haec quaestio impeditur, cum pulcritudo, quae ad formam spectat, et subtile loquentis consilium in lingua aliena multo minus sentiatur et nostrae aures, quid veteribus hominibus aut bene aut male sonuerit, recte diiudicare minime possint. omnino praeterea in talibus figuris promptius est, sensu quodam percipere, quid voluerit scriptor, quam verbis effari et explanare aut certa argumentatione demonstrare. habet autem harum rerum tractatio aliam, peculiarem quandam neque eam exiguam, difficultatem. etenim huius hyperbati figurae exempla magna ex parte per varios quasi cognationis gradus cohaerent, ut, si disponendi causa ea in certum quendam ordinem diducere velis, aegre separari se ac divelli patiantur. tamen vix fieri potest quin in complura capita hanc quaestionem digeramus, praesertim cum multum intersit, quaenam voces distractae quibusque vocabulis interiectis dissociatae sint. prima autem paragrapho, quid veteres de hyperbati figura statuerint, paucis verbis explicandum esse videtur.

§ 1. Quid antiqui de figura hyperbati iudicaverint.

Vocem hyperbati a voce *ὑπερβαίνειν* i. e. 'transgredi' esse derivandam et ordinem verborum liberius et, ut a vulgaris sermonis consuetudine recederet, institutum significare vix est quod commemorem. hac grammatica, ut ita dicam, notione vocabulum a Platone primum usurpatum invenimus, qui Protag. 343e de Simonidis versibus (Bergk. poet. lyr. III⁴ 386) *ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν* Socratem loquentem facit *ἀλλ' ὑπερβατὸν δεῖ θεῖναι ἐν τῷ ᾄσματι τὸ ἀλαθέως*. etiam in Anaximenis arte rhetorica ad Alexandrum, quae Aristotelis nomine inscripta est, cap. 30 (Spengel. p. 60, 24) huius figurae mentio fit *ἀπὸ τῶν ὀνομάτων, ἐὰν — μὴ ὑπερβατῶς αὐτὰ τιθῶμεν, ἀλλ' ἀεὶ τὰ ἐχόμενα ἑξῆς τάττωμεν*. eodem fere modo in libro *περὶ ὕψους*, qui Cassii Longini nomini addictus

Claudiorum Caesarum temporibus conscriptus est, cap. 22 figura explicatur *ἔστι δὲ (ὑπερβατὸν) λέξεων ἢ νοήσεων ἐκ τοῦ κατ' ἀκολουθίαν κεκινημένη τάξις καὶ οἱονεὶ χαρακτὴρ ἐναγωνίου πάθους ἀληθέστατος.*

Apud rhetores non raro hyperbaton commemoratur. Theon in libro, qui inscribitur *προγυμνάσματα*, ubi eos locos tractat, quibus *σαφήνεια διηγήματος* desideratur, etiam hyberbaton affert (Speng. II, 82) *παρατηρητέον δὲ καὶ τὸ μὴ ὑπερβατῶς χρῆσθαι οἷά ἐστι τὰ πολλὰ Θουκυδίδου· οὐ γὰρ καθόλου τὸ τῶν ὑπερβατῶν γένος ἀποδικάζομεν· ποικίλη γὰρ διὰ τούτου καὶ οὐκ ἰδιωτικὴ γίνεται ἡ φράσις.* plerumque autem rhetores et grammatici tantum species aliquas figurae dinumerant et in certis exemplis acquiescunt, quae quisque alter ab altero est mutuatus. Hermogenes in arte rhetorica, cap. *περὶ μεθόδου δεινότητος* (Speng. II, 438) hyperbaton intra parenthesis terminos coercet, atque ex Alexandri *περὶ σχημάτων* commentatione, quae sophistarum aevo composita in epitomen coacta nobis est tradita, cum epitomator genuina perturbasse videatur, nihil aliud intellegere possumus quam Alexandrum duo genera, tmesin et parenthesin, distinxisse. paulo accuratius deinde Phoebammon, qui rhetor saeculo quinto ineunte floruit, hyperbaton in varias species divisit in libro *περὶ σχημάτων*, quo Caecilium et deperditum Alexandri librum descripsit. in capite *περὶ τῶν τῆς μεταθέσεως* (Speng. III, 48) haec leguntur *ὑπερβατὸν δέ ἐστι λέξις ἢ φράσις ἀνὰ μέσον ἔχουσά τι τῶν ἑξῆς νοουμένων. ἐν τρισὶ δὲ τοῦτο θεωρεῖται, ἢ ἐν λέξει, ὃ δεχῶς γίνεται, ἢ ἐν λόγῳ, ἢ ἐν πράγματι. ἐν λέξει μὲν — ὡς ἵνα θέλων εἰπεῖν, ὅτι κατέφαγε ταῦρον, εἴπω ὅτι κατὰ ταῦρον ἔφαγεν, ἢ — ὡς ἵνα λέγῃ τις ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα ἐτύπτησεν ἑταῖρόν μοι· ἐν λόγῳ μὲν, ὡς ἵνα εἴπωμεν, ἐξεβόησαν, καὶ τὸ θέατρον ἤχησεν, ἐπαινοῦντες τὸν ἄρχοντα· ἐν πράγματι δέ, οἷον ἡ θρέψασά με καὶ γεννησαμένη.* anastrophen praepositionis et schema quod dicitur Alcmanicum ad hyperbaton non refert. recentiores rhetores quomodo singuli hyperbaton definierint et in quasnam species diviserint, accuratius pertractare supersedebo; aut anastrophen sive *ὑπέρθεσιν* et parenthesin (Speng. III, 74. 136),

aut tmesin et anastrophen praepositionum (Speng. III, 170. 188), aut Phoebammonem secuti ὑπερβατὸν ἐν λέξει, ἐν λόγῳ, ἐν πράγματι vel etiam ἐν νοήματι (Speng. III, 218. 238) distinguunt.

Quam Graeci figuram dicunt hyperbaton, Latini transgressionem aut traiectionem verbi nuncupant. sic auctor rhetoris ad C. Herennium IV, 32 hanc figuram explicavit *transgressio est, quae verborum perturbat ordinem perturbatione aut traiectione; pervorsione sic: hoc vobis deos immortalis arbitror dedisse pietate pro vestra; transgressione hoc modo: instabilis in istum plurumum fortuna valuit: omnis invidiose eripuit isti bene vivendi casus facultates. huiusmodi transiectio, quae rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes —; in quibus oportet verba sicuti ad poeticum quendam exstruere numerum, ut perfecte et perpolitissume possint esse absolutae.* cf. Ciceronem, de orat. III, 52. etiam Quintilianus, qui diversis institutionis oratoriae locis hyperbati mentionem facit et animo pendet, utrum inter tropos an figuras referat, 'verborum transgressionem' interpretatur. ut rhetores Graeci complura hyperbati genera attulerunt, sic etiam grammatici Latini varias huius figurae species invenerunt. Marius Plotius Sacerdos (Keil. VI, 466) quattuor genera constituit: parenthesin, hysterologiam sive hysteron proteron, synchysin, tmesin, atque eodem fere modo Charisius (Keil. I, 275), nisi quod tmesis loco anastrophen posuit. Donatus autem (Keil. IV, 401) et Diomedes (Keil. I, 460), qui cum Charisio ex eisdem fontibus hauserunt ac praesertim Palaemonem et Comminianum descripserunt, paululum ab illis discedunt, quod quinque hyperbati genera esse voluerunt: anastrophen, tmesin, parenthesin, synchysin, hysterologiam. docet haec divisionis similitudo pares hyperbati formas constituisse deperditos horum fontes; exempla quoque eadem usque repetunt atque in synchysis explanatione omnes fere in unum consentiunt *synchysis est hyperbaton obscurum, ex omni parte confusum.* parum utilitatis praebent ieiunae illae grammaticorum explicationes, neve posteriorum qui priores defraudaverint et compilaverint

sententiae valde inter se cognatae nos diutius commorentur. etenim nihil proficiunt ad intellegendam linguarum indolem et ad cognoscendam poetarum in verbis transponendis audaciam. quid quod extiterunt etiam inter grammaticos illos qui hanc hyperbati figuram damnarent, quasi vitium esset? nihil, puto, eis suboluit de huius dispositionis natura atque vi. itaque illos non iam curo; tu inspice, si placet, Volkmanni librum Rhetorik der Griechen und Römer p. 372 sq.

In scholiis quoque haud ita raro figura hyperbati commemoratur, cum tale quid saepius occurrat: *ὑπερβατὸν δέ*, *ὑπερβατῶς εἴρηται*, *ἐν ὑπερβατῷ*, *τὸ δὲ ἑξῆς οὕτως*, *διὰ μέσου τίθεται*, similia. atque in his interpretationibus interdum accidit, ut traiectio verborum statuatur, quae nullo pacto fieri possit. speciminis loco cf. scholion ad Soph. O. C. v. 71. similiter hyperbati nomine abutitur scholion ad Theocr. IV, 39 (vide Hauptii op. II, 467). haec omnia nunc in medio relinquamus, cum nobis longe alia via procedendum sit. illud unum praemonebo me hyperbaton intellegere omnem vocabulorum transpositionem, qua verba vinculo aliquo arte cohaerentia distrahuntur atque simplex naturalisque ordo invertitur et ad minus usitatam deflectitur collocationem. itaque illis non assentior, qui inter inversionem et hyperbaton aliquid interesse volunt (cf. H. Eggers. de ordine et figuris quibus Horatius in carminibus usus est. Lovanii 1877 p. 34 et 41); nam inversio quoque ad traiectionem pertinet; ubi invertitur, etiam transponitur et inversio fit traiectione unius aut complurium vocabulorum e serie consueta et vulgari.

§ 2. Articuli hyperbaton.

Ut sensim ac pedetemptim procedamus, primum notarum quarundum rerum memoria est repetenda. hanc orationis particulam cum nomine, cui est addita, artissimo vinculo cohaerere, ex eius natura ipsa plane patet. attamen haec intima societas et necessitudo aliquo modo tollitur et relaxatur, si articulum in fine versus positum invenimus nomine initio alterius

subsequente. exiguam vero haec collocatio offensionem habet in melicis rhythmo per plures versus decurrente; maior audacia in trimetro est cognoscenda, ut Soph. Ant. 409

πᾶσαν κόνιν σήραντες, ἣ κατεῖχε τὸν νέκυν.

cf. O. Hense. Studien zu Soph. p. 14. 92 (qui tamen in eo errat quod ter Sophoclem hoc fecisse dicit, cum quattuor exempla comparata habeam: praeter Antigonae versum Phil. 263. O. C. 351. El. 879. vide Schneidew. Nauck. ad Phil. 263). quamquam concedendum est recitatione sensui magis accomodata pausam, quae fine versus efficiatur, multo esse minutam, tamen in hac positione liberior poetarum sermo agnoscitur. cf. Boeckh. not. crit. ad Pind. p. 377. eadem vel similis est libertas, si articulus ante caesuram pentametri ponitur, ut exempli gratia in epigrammate Leonidae Tarentini anth. Pal. IX, 335

Ὑλοφόρου τὤγαλμ' ἀφ', ὁδοίπορε, Μικκαλίωνος
Ἑρμῆς ἀλλ' ἴδε τὸν κρήγυον ὑλοφόρον

ubi et primi versus animadvertas artificiosam dispositionem et altero versu *τόν* idem fere esse atque *αὐτόν*. cf. Jacobs. anth. Pal. tom. III p. 535. iam apud Homerum nomen ab articulo caesura hexametri distrahi demonstrat Od. XXI, 425

ἥμενος· οὐδέ τι τοῦ σκοποῦ ἤμβροτον, οὐδέ τι τόξον
δὴν ἔκαμον,

quo loco *τοῦ* ad pronominis naturam accedit.

Specie maximam, at re vera legitimam collocationis libertatem articulus sibi vindicat, ubi tuetur antiquissimam pronominis demonstrativi vim et naturam, velut Hom. Od. I, 439

ἣ μὲν τὸν πτύξασα καὶ ἀσκήσασα χιτῶνα

et Il. XI, 186. sic etiam postponitur nomini vel substantivo, praesertim si enuntiatio relativa aut temporalis proxime subsequitur, quae articulo praecedenti indicatur. cf. Il. V, 210, Schnorr von Carolsfeld. verborum collocatio Homerica. Berl. 1864. p. 15. Aesch. Sept. 492 *ἐχθρὸς γὰρ ἀνὴρ ἀνδρὶ τῷ ξυστήσεται.* haec vero pronominis *ὁ* dispositio, cum articuli natura ab eo aliena sit, ad hyperbaton proprie referri non potest, neque huius rei mentionem fecissem, nisi transpositionem

audacissimam hoc loco commemorare vellem, quae externa aliqua similitudine cum illa coniuncta est; dico enim istam pronominis ὁ collocationem, qua, cum articuli naturam prae se ferat, nomini, cui praefigendum erat, postponitur. ita Paulus Silentiarius anth. Pal. V, 234, 3 articulum traiecit:

γυιοβόροις βελέεσσιν ἀνέμβατος ὁ πρὶν Ἐρώτων.

construendum enim est ὁ πρὶν ἀνέμβατος γυιοβόροις βελέεσσιν Ἐρώτων. haec mira et notabilis articuli traiectio defenditur alio loco non dissimili; in epigrammate Antipatri Macedonis anth. Pal. IX, 46. 5 sq. haec leguntur.

Ἄρτεμις ἀμφοτέροισιν ἐπήκοος, ἥ τε λοχείης
μαῖα καὶ ἀργεννῶν φωσφόρος ἡ σελάων.

coniungas ἡ φωσφόρος neque quidquam commutare velis, cum hic quoque articulum metri necessitate transpositum esse statuendum sit. haud ab re mihi esse videtur huc adducere Arati phaenom. 1129 sqq.:

οὕτω καὶ προτέροις ἐπὶ σήμασι τεκμήραιο
ἐσσομένων ἀνέμων ἢ χείματος ἢ ὑετοῖο
αὐτὴν ἢ μετὰ τὴν ἢ καὶ τριτάτην ἔτ' ἐς ἠῶ,

ubi praeter inversionem particulae ἤ animadvertenda est articuli et pronominis αὐτήν insueta disiunctio, cum verba per hyperbaton posita sint pro ἢ μετὰ τὴν αὐτήν. atque haec inusitata verborum traiectio eo est insignior, quod poeta, non ut metro subveniret, hanc collocationem admisit; salvo enim metro dicere licuit:

ἢ μετὰ τὴν αὐτὴν ἢ καὶ τριτάτην ἔτ' ἐς ἠῶ.[1])

---

[1]) Modo id quod Kaibelius de arte metrica Callimachi observavit (observat. crit. in anth. Graecam, in comment. philol. in honorem Mommseni p. 326) poetam accuratissime studuisse, ut hexametri numeri 'sedatiore ingressu exorsi eundo tanquam crescentes summa celeritate exitum peterent', etiam ad Aratum, politissimum numerorum artificem, referri posset, causa illius traiectionis in aperto esse videretur. si enim simplicem et naturalem ordinem poeta secutus esset, medio versu duo pedes e spondeis compositi sese excepissent, qui versus hexametri rhythmum nimis retardassent. sed regula illa, quam Kaibelius proposuit, veritati non satis congruit, cum 'ea ipsa versuum initia, quae

neque illud ad insolentem verborum distributionem explicandam sufficit, quod vox *αὐτήν*, in qua magna vis versatur, initio versus posita est, cum eandem fere gravitatem assecuta esset, si proxime ante caesuram locum occupasset. quam ob rem alia causa investiganda est, quae nisi fallor in quodam euphoniae studio latet, quod Aratus consonantiam illam *τὴν αὐτὴν ἢ καὶ τριτάτην* vitare vel debilitare voluit distractis vocibus, quae similem exitum praeberent. fortasse haec inusitata et singularis verborum series inter soloecismos referenda est, quos grammatici in Arato reprehendere solent. at illam quam modo perlustravimus, articuli traiectionem nisi apud posterioris aetatis poetas non inveniri notandum est.

Plerumque vero articulus locum ante substantivum habet; ea enim pronominis *ὅ* collocatio, qua substantivo praecedente ante attributum positum est, ad hanc quaestionem non pertinet, cum communis grammatices legibus respondeat. ubi autem articulus ante nomen collocatur, saepissime particulis interiectis ab eo distrahitur, quod cum usitatissimum sit, exemplis comprobare omittam. eodem modo pronomina enclitica, levi pondere vocabula, inter articulum et substantivum inseruntur. cf. Herod. III, 153: *τῶν οἱ σιτοφόρων ἡμιόνων μία ἔτεκεν.* etiam apud Homerum haec traiectio invenitur, sed certis quibusdam legibus adstricta est; interponitur enim tantum dativus et ille quidem non nisi particula praecedente. cf. Schnorr v. Carolsfeld l. d. p. 11. itaque iam maiore libertate utitur Theognis v. 575 *οἵ με φίλοι προδιδοῦσι* et 813 *οἵ με φίλοι προὔδωκαν.* poetis deinde Alexandrinis et qui artem eorum imitantur epigrammatum scriptoribus haec articuli per accusativum pronominis enclitici a substantivo diducti positio in de-

---

sedatiorem ingressum efficiunt, multo rarius a Callimacho adhibita sint' (cf. Benecke. de arte metrica Callimachi. Argentorati 1880. p. 8 sqq.). neque in Aratum Kaibelii sententia quadrat; nam in priore hexametri parte dactyli crebriores sunt quam spondei, atque duae illae hexametri formae: d s s d d et s d s d d simili fere ratione in Arati carmine usurpatae inveniuntur. itaque metrica arte hoc transgressionis genus explicari vel excusari non potest.

liciis fuisse videtur, praesertim in titulis votivis, ut Callim. epigr. 56 Schn. (anth. Pal. VI, 148)

τῷ με Κανωπίτᾳ Καλλίστιον εἴκοσι μύξαις
πλούσιος ἡ Κρισίου λύχνον ἔθηκε θεῷ.

praeterea cf. Mosch. V, 3 ποθίει δὲ πολὺ πλέον ἅ με γαλάνα, Simmias anth. Pal. VII, 21 τόν σε χοροῖς μέλψαντα Σοφοκλέα. Meleager XII, 101 τόν με πόθοις ἄτρωτον. anth. Plan. 279, 1 τόν με λίθον μέμνησο τὸν ἠχήεντα. Onestes anth. Pal. VII, 66, 4

ἀλλὰ κύον σαίνοις, Κέρβερε, τόν με κύνα,

quo ultimo loco verborum series arte et consilio quaesita est et vocabula inter se opposita ad initium et finem versus reiciuntur. huc etiam pertinet Babr. III, 7 πρὸς τοῦ σε Πανός, quod infra apud praepositionum hyperbata iterum apponam. aliud valde notabile exemplum praebet Callimachus frg. 191 (Schn. II p. 444)

τόν με παλαιστρίταν ὀμόσας θεὸν ἑπτάκις φιλάσειν.

satis enim est incertum quomodo verba sint intellegenda. atque Diltheyus, qui primum (Jen. Literat. 1874 nr. 537) putabat pronomen non eandem personam quam substantivum παλαιστρίταν θεόν, cui insertum est, designare, sed eum quem puer aliquis se osculaturum esse per deum palaestrae iurasset, ut μέ infinitivo φιλάσειν esset adiungendum, nunc aliam quam comiter mecum communicavit sententiam amplexus est. collatis Ciceronis verbis Verr. II, 4, 94 hermam loqui existimat, quem puer ille se osculaturum esse promiserat. qua explicatione probata hoc exemplum superioribus similius articulique notio pronomini demonstrativo hic quoque proxima est. magis etiam ambigere licet, quid de eiusdem fragmento 315a Schn. τόν σε Κροτωπιάδην sit statuendum. Apollonius Dyscolus quidem (de synt. p. 59, 22 Bekk.) τόν σε in unum coire autumat, simul alterum afferens articuli pronominibus personalibus praepositi frg. 315b ναὶ μὰ τὸν αὐτὸν ἐμέ. tamen cum Schoemanno, qui in animadversionibus ad veterum grammaticorum doctrinam de articulo p. 57—59 de his locutionibus egit, articulum per hyperbaton ad nomen Κροτωπιάδην referre satius est. multo enim minus ad pronomen σέ articulum desideres quam ad vocem Κροτω-

πιάδην. de altero autem loco *ναὶ μὰ τὸν αὐτὸν ἐμέ* recte iudicavit Schoemannus 'sic pronomen accipiendum est, ut is qui loquitur initio quidem aliquod nomen in mente habuisse statuatur, cui praemittendus esset articulus, deinde autem omisso hoc nomine pronomen potius posuisse. — est igitur subita institutae orationis mutatio, quam etiam aposiopesin dicere licet, possitque haec aposiopesis etiam scribendo notari *ναὶ μὰ τὸν — αὐτὸν ἐμέ.*' qua in obtestationis forma articulus consuetus est; cf. Agathias anth. Pal. VII, 596, 1. et Callimachi illud elliptice dictum frg. 66 d *ναὶ μὰ τόν,* quod loquendi genus imitatus est Agathias anth. Pal. VII, 552, 2.

Cum pronominibus encliticis particulae quoque coniunctae inter articulum et substantivum interponuntur, quae disiunctio non est inusitata; cf. Herod. V, 46 *οἱ γάρ μιν Σελινούσιοι — ἀπέκτειναν.* jam aliquo modo audacius dixit Aeschylus Prom. 293

τό τε γάρ με, δοκῶ, ξυγγενὲς οὕτως
ἐσαναγκάζει,

quamquam verbum *δοκῶ* hoc loco pro adverbio accipiendum est. haec enim exigui ponderis vocabula facilius intericiuntur, ut apud Bionem I, 26 *οἱ δ' ὑπὸ μαζοὶ χιόνεοι τὸ πάροιθεν Ἀδώνιδι πορφύρονται.*

Aliam articuli traiectionem strictim hic significo, cum infra ad similia praepositionum hyperbata sim reversurus. praesertim apud poetas tragicos articulus a pronomine *αὐτοῦ*, quod et idem ad nomen pertinet, seiungitur interiecto vocabulo *αὐτός*, quod ad verbum referendum est; ita enim cum elegantia quaedam, tum gravitas quaeritur, quod diversis eiusdem vocabuli formis iuxta positis notio illa, quae vocabulo *αὐτός* inest, in clariore luce collocatur et acrius in aures cadit. cf. Aesch. Ag. 800:

τοῖς τ' αὐτὸς αὐτοῦ πήμασιν βαρύνεται.

Soph. Ai. 1132: *τοὺς γ' αὐτὸς αὐτοῦ πολεμίους.* neque a pedestri oratione hanc collocationem alienam esse postea docebitur.

Priusquam ad audaciores articuli collocationes perveniam, aliquid mihi est praemonendum. apud Homerum enim ceteros-

que poetas, praesertim carminum epicorum, saepissime ὁ μὲν vel ὁ δὲ in principio enuntiati invenitur, quod sub finem periodi substantivo addito accuratius definitur. his autem in formulis ὁ primitivam suam vim et naturam prae se ferre manifestum est. plerumque sic nomen proprium indicatur, cum paulo ante iam positum sit, ita ut e sententiarum conexu intellegi possit, quod vocabulum pronominis loco cogitatione sit supplendum. hic verborum ordo ad articuli hyperbaton minime referri debet, cum illud ὁ δέ ab articuli natura differat; sed potius appositionis traiectionem appellaveris. cf. Hom. Il. V 519 sq.

τοὺς δ' Αἴαντε δύω καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ Διομήδης
ὤτρυνον Δαναοὺς πολεμιζέμεν.

haud raro etiam appellativum postea infertur sive explicationis sive perspicuitatis causa, cum poeta initio rem quasi satis notam pronomine designaverit, deinde autem, ut auditoris animo minus quam sibi ipsi praesentem, disertius etiam nomine indicet. non inepte Schoemannus l. c. p. 30 hunc pronominis usum cum eo comparavit, quem in vernaculo sermone pronomen „er, sie, es" habet, quod non plane eandem vim exercet atque pronomen demonstrativum, sed nonnunquam ad praeparandam notionem postea illatam inservit. hac autem qua modo diximus ratione complures loci in Homericis carminibus explicantur, quibus caveas ne de articuli traiectione cogites. sic Il. I 348 *ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν* pronominis vices sustinet *ἡ δέ*, cui infra substantivum *γυνή* accedit. huc etiam pertinet Il. I 382 sqq.

ἧκε δ' ἐπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος· οἱ δέ νυ λαοὶ
θνῆσκον ἐπασσύτεροι· τὰ δ' ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο
πάντῃ ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν.

illud *τὰ δέ* quo spectet, iam verbis *ἧκε κακὸν βέλος* indicatum est, sed perspicuitatis causa *κῆλα θεοῖο* apponitur[1]). similia

---

[1]) Si quis miratur, quomodo illud *τὰ δέ* iam per se ipsum intellegi possit, conferat exemplum quale est Il. XXII 400

μάστιξέν ῥ' ἐλάαν, τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην.

substantivum vel nomen, ad quod *τὼ δέ* referendum sit, in eis quae

sunt exempla Il. IV 501 sqq., Od. X 162. denique etiam illis locis, quibus ὁ δέ initio enuntiati positum est nulla eius nominis, quod paulo infra subsequitur, mentione facta, fieri non potest quin nomen appositionis loco additum esse statuamus. cf. Il. V 502 *αἱ δ' ὑπολευκαίνονται ἀχυρμιαί* et V 663

οἱ μέν ἄρ' ἀντίθεον Σαρπήδονα δῖοι ἑταῖροι
ἐξέφερον πολέμοιο,

V 692, Od. XIX 470, XXIV 226 *τὸν δ' οἶον πατέρ' εὗρεν,* ubi *οἶον* praedicative positum est. maiorem exemplorum multitudinem congessit Schnorr v. Carolsfeld, qui in dissertatione de verborum collocatione Homerica p. 11—16 de pronomine ὁ accuratius egit. praeter quem conferas Naegelsbachii Anmerkungen zur Il. 1834 p. 321 sqq. itaque ex eis quae proxime disputavimus consectarium est, apud Homerum pronomen ὁ plane ad pedestris sermonis modum articuli loco usurpatum graviore vocabulo, quo necessaria efficiatur seiunctio, a nomine suo non esse divulsum. de uno tantum loco dubitaverim, nam Od. XXIV 225

αὐτὰρ ὁ τοῖσι γέρων ὁδὸν ἡγεμόνευεν

fortasse illud ὁ prope in articuli notionem se insinuat; hyperbaton igitur statuendum erit, quo *τοῖσι* inter articulum et substantivum est traiectum, ita ut variae eiusdem vocabuli formae proxime sint collocatae. atque haec explicatio simili praepositionis hyperbato defenditur Il. X 224 *πρό ὁ τοῦ ἐνόησεν,* de quo loco vide infra. praeterea reputandum est, locum illum extare in ea Odysseae particula, quam recentiore aevo ortam esse primus demonstravit Spohnius (de extrema Odysseae parte, Lips. 1816) et omnes fere nunc consentiunt.

Posteriorum quoque temporum poetae, de vulgari tantum articuli potestate plerumque cogitantes, partim fortasse Homericam dicendi rationem secuti pronomen ὁ δέ nonnunquam praeposuerunt, ita ut substantivo postea epexegetice

---

praecedunt frustra requires; sed ex totius periodi sententia et verbo finito intellegi potest, de equis esse sermonem. cf. Od. VIII 170, XXI 48 sq.

addito illud ὁ δέ tanquam pronomen demonstrativum usurparent. cf. Eurip. Med. 141 sq.:

ἡ δ᾽ ἐν θαλάμοις θάκει βιοτὰν
δέσποινα.

Arist. Thesm. 505. τὸ δ᾽ εἰσέφερε γραῦς ἐν χύτρᾳ τὸ παιδίον. Arat. 149. αἱ δέ που ἀσταχύων κενεαὶ φαίνονται ἄρουραι. nonnunquam etiam solum ὁ, particula δέ non adiuncta, ita initio enuntiati praefigitur, ut apud Apollonium Rhodium, quem totum ex Homerico sermone pendere constat, I, 481:

τοῖα φάτις καὶ τοὺς πρὶν ἐπιφλύειν μακάρεσσιν
υἷας Ἀλωιάδας.

sed haec vulgaria; liberioris usus sunt ea exempla, ubi pronomen ὁ proxime ad articuli naturam accedit: Apoll. Rhod. 887

τὰ δέ οἱ ῥέε δάκρυα χήτει ἰόντος.

Pauli Silentiarii epigr. (anth. Pal. V, 250)

τὰ δ᾽ ὡς δροσερῆς ἀπὸ πηγῆς
δάκρυα μιγνυμένων πῖπτε κατὰ στομάτων.

Mosch. VII, 6: ἁ δ᾽ οὐκ οἶδε θάλασσα.

sufficiat haec pro multis pauca attulisse (cf. Ameis. de articuli usu apud poetas Graecorum bucolicos. Muehlhausen 1846. p. 40. huc etiam pertinent complura eorum, quae commemoravit Schneiderus, Callimachea I, p. 356 sqq.). id autem omnibus commune est, quod ad similitudinem Homerici usus sunt comparata. hoc unum silentio praetermittere non licet, quod talis orationis structura in pedestri quoque sermone adscita esse videtur; in Thucydidis enim libro VI, cap. 22 τὸν δὲ καὶ αὐτόθεν σῖτον, πυροὺς καὶ πεφρυγμένας κριθάς, ἄγειν, sicut in libris manuscriptis traditum est, αὐτόθεν cum ἄγειν coniungendum est, quod ὁ καὶ αὐτόθεν σῖτος graece dici nequit Kruegero rectissime adnotante; itaque si modo librariis fides est habenda, illud τὸν δέ indicat substantivum σῖτον epexegetice additum. sed cum haec locutio in prosa oratione prorsus singularis sit, cum Kruegero codicum scripturam commutare praestat.

Quae proxime de pronomine ὁ generatim disputavimus, ad articuli hyperbaton proprie non pertinent; sed haec attingenda nobis videbantur, quod ab hominibus doctis saepe di-

versas huiusmodi species minus subtiliter secerni videmus. itaque relicto quasi deverticulo nunc ad ea exempla accedamus, quibus articulus ad pedestris sermonis modum usurpatus re vera articuli praepositivi vim et potestatem habet. quid de Homeri carminibus statuendum sit, supra indicavimus; recentiorum autem libertatem paulo accuratius examinemus. iam in tragicorum sermone reperiuntur exempla, quibus articulus insolenter a nomine, cui adhaerere debebat, distrahitur. nam Aesch. Ag. 827:

τὸ μὲν γυναῖκα πρῶτον ἄρσενος δίχα
ἧσθαι δόμοις ἔρημον ἔκπαγλον κακόν,

ubi *τὸ μὲν πρῶτον* coniungas, vocabulum gravi pondere intervenit. cui loco simile est Sophoclis illud Ai. 311:

καὶ τὸν μὲν ἧστο πλεῖστον ἄφθογγος χρόνον.

eodem enim modo, quo in Aeschyli exemplo substantivum, hic verbum finitum interpositum est. ad quas duriores articuli traiectiones non solum metri commoditas poetas adduxit; quippe facile est intellectu notionem loco insolenti ex inopinato insertam vehementem assequi accentum. perquam quidem raro talis audacia a poetis Atticis est admissa, verum attamen duo illa exempla tam insigniter inter se conveniunt, ut sua se concordia mutue confirmare videantur.

Apud Alexandrinos deinde poetas articulus a nomine liberrime disiunctus saepius invenitur. qua de re conferas G. Hermann. ad Bionis et Moschi carmina p. 94. Wordsworth. ad Theocr. XXIX, 22 (qui quos comparavit locos nos satis distincte protulit). Hecker. comment. de anth. gr. 1842, p. 76. sunt quibus haec articuli diremptio vituperatione digna neque ullo pacto ferenda esse videatur, ita ut locos, quibus haec collocatio sese offert, corrigere et commutare velint. etiam Meinekio iste usus stomachum movit, quapropter poetis Alexandrinis hanc libertatem abiudicat, cum posterioribus, praesertim oraculorum Sibyllinorum scriptoribus, eam esse concedendam arbitretur. sed extant tam multa et tam certa exempla, ut haec omnia pro corruptis habere atque coniectura

tollere iusto audacius sit. in Callim. h. VI inde a v. 120 haec leguntur verba:

χῶς αἱ τὸν κάλαθον λευκότριχες ἵπποι ἄγοντι
τέσσαρες, ὣς ἀμῖν μεγάλα θεὸς εὐρυάνασσα

etc. articulum hoc loco interposito accusativo valde insolenter a substantivo ἵπποι distineri in oculos incurrit. inservit autem illa traiectio ad efferendam vocem insertam. Meinekius ad Callim. p. 235 hanc collocationem improbans articulum αἱ in pronomen relativum αἵ mutavit; quam mutationem non fieri sine sententiae detrimento, quod omnis vis sic in numerum τέσσαρες evaderet, recte mihi monuisse videtur Schneiderus. non satis constat de Theocriti versu id. XVI, 4, quem Meinekius in tertia bucolicorum editione, Hermannum (op. V, 109) haud dubie partim secutus, ita scriptum exhibet

ἄμμες δὲ βροτοὶ, οἱ δὲ βροτοὺς βροτοὶ ἀείδοντι,

cum reliqui editores verba sic constituant

ἄμμες δὲ βροτοὶ οἵδε, βροτοὺς βροτοὶ ἀείδωμεν.

languidum quidem est, ut ait Hermannus, et inutile illud ἄμμες δὲ βροτοὶ οἵδε, ita ut aliquam probabilitatis speciem habeat prior scriptura. at pro certo non utemur hoc exemplo, alia sunt in promptu, quae penitus persuadeant Alexandrinos poetas licenter admodum articulum a nomine separasse. rectissime sane magnaque cum venustate, etiam approbante Meinekio, G. Hermannus hoc hyperbati genus constituit Pseudotheocr. XXVII, 50 τὰ παρθένῳ ἄλσεα δείξω. nam cum in aequalium sententiarum continuatione v. 49 et 50 forma etiam orationis accuratius exaequari debeat et v. 49 traditum sit τὰ βουκόλῳ ἔργα νοήσω, vide annon omnes in se habeat probabilitatis numeros lectio, quam vir doctissimus proposuit, ut duorum versuum partes tam forma quam sensu ad amussim eleganter sibi respondeant. neque ipsum verbum finitum articulo et nomini interponere poetae Alexandrini reformidarunt. ex amatorio Callimachi carmine frustulum nobis est servatum frg. 118 Schn.:

ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος
τὴν οἵ φασι τεκόντες

εὐναίους ὀαρίσμους
ἔχθειν ἶσον ὀλέθρῳ [1]).

Meinekio articulus a nomine suo diremptus adeo singularis visus est, ut in Anal. Alex. p. 227 τὴν δή φασι τεκόντες scribendum esse coniceret, deinde in Callim. h. et epigr. editione p. 235 οἱ pronomen demonstrativum esse contenderet. sed vix fieri potest, ut hoc loco οἱ pro demonstrativo accipiamus; immo propius accedit ad notionem pronominis possessivi ('ihre Eltern'). huius autem carminis saltatim currenti et quasi exultanti rhythmo optime convenit artificiosa et ut ita dicam abrupta verborum consecutio. ne in hac insolentiore collocatione nimis offendas, confer Homericum illud a Schneidero iam comparatum Il. XI, 831: προτί φασιν Ἀχιλλῆος δεδιδάχθαι, ubi enclitica forma φασίν praepositio a casu suo seiungitur. eodem plane, quod modo apud Callimachum cognovimus, articuli traiecti genere distinctum est Alexandri Aetoli fragmentum (Meineke. Anal. Alex. p. 225):

ἀλλ' ὅ γε πευθόμενος πάγχυ Γραικοῖσι μελέσθαι
Τιμόθεον κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων,
υἱὸν Θερσάνδροιο, τὸν ἤνεσεν ἀνέρα σίγλων
χρυσείων ἱερῇ δὴ τότε χιλιάδι.

articulus (τὸν-ἀνέρα) non multum quidem abest a pronominis demonstrativi potestate, tamen non prorsus eius naturam prae se fert. atque ideo hoc exemplum maxime est notandum, quod cum certe diiudicari nequeat, utrum articuli an pronominis significationem contineat, ex eo colligere licet duas illas notiones saepe permixtas neque a poetis ipsis inter se accurate esse distinctas. tertium exemplum, quo similem articuli seiuncti licentiam agnoscas, extat in epigrammate aetatis recentioris (Kaibel. epigr. ex lapidibus collecta nr. 1047 v. 3.)

πρὸς δ' ἔτι καὶ τὸν ἄνυσσε πυλῶνα ἱρῇ ἐνὶ Κύσει

ergo illi loci, quos ad partes citavimus, causam adversus

1) Non recte Schneiderum hoc poemation coniectura sollicitasse et in epigrammatum numerum rettulisse demonstravit Diltheyus Jen. Liter. 1874, nr. 537.

Meinekium dicunt ac nostrae opinioni vehementer patrocinantur, in hoc genere poetas Alexandrinos non nimis adstrictis se coerceri velle habenis. quid quod Moschus etiam tale quid ausus est II, 17: *τὸ γὰρ ὡς ὕπαρ εἶδον ὄνειρον*? articulus et substantivum initium et finem enuntiati occupant, insolentissime sane, verum non sine artis consilio; quippe hac dispositionis forma oppositio, quae verbis *ὄνειρον* et *ὕπαρ* inest, multo magis effertur et acuitur. vicina est illa traiectio, ut inter articulum et nomen, ad quod pertinet, praedicatum vel praedicativum intercedat. huc referenda sunt duo exempla, quae Heckerus l. d. attulit: Diodori epigr. anth. Pal. VII, 235, 1:

μὴ μέτρει Μάγνητι τὸ πήλικον οὔνομα τύμβῳ,

ubi Jacobsius *τὸ τήλικον οὔνομα* praetulit, et Antiphili versus anth. Pal. IX, 551, 2:

τεῦ χάριν ὁ προδότης ὄρνις ἀεὶ λέγεται,

quo loco idem Iacobsius *τεῦ δὲ χάριν προδότης* et Meinekius praeterea *οὔρνις* scribi voluit. at haec duo exempla tam egregie se invicem tuentur, ut in codicis scriptura acquiescere debeas; in Antiphili autem verbis articulus proxime accedit ad pronominis *οὗτος* significationem. nuperrime deinde Diltheyus in indice lectionum hibernarum Gotting. 1884/85 p. 8 exemplum valde notabile e coniectura adiecit, cum Pseudotheocriti versum ab hominibus doctis varie vexatum XXVII, 9 ita constituit, librorum vestigia religiose observans,

χἀ σταφυλὶς σταφίς ἐστι· τὸ καὶ ῥόδον αὖον ὄδωδεν.

verba in hunc modum sunt redigenda *καὶ ἁ σταφὶς σταφυλίς ἐστι καὶ τὸ αὖον ῥόδον ὄδωδεν*. sententia quidem omnino est aptissima atque verborum traiectionis insolentia superioribus locis aliquo modo confirmatur. quod vero articuli a nomine diductio ita est facta, ut facile quis coniungere possit *ἁ σταφυλίς*, hanc orationis ambiguitatem, praesertim apud huius aevi poetam, nihil habere offensionis, praesenti disputatione extra dubitationem, opinor, reponetur[1]). quin potius consilio arces-

---

1) Eiusmodi vocabulorum transpositio ita instituta, ut qui leviter

sita et huic loco accomodatissima est verborum dispositio durior et impeditior. nam in acutulis dicteriis ea, quae sibi contraria sunt, arte consociari et hac ipsa oppositione magis in audientium animos penetrare solent. itaque densae brevitatis et rotundae venustatis studium tale hyperbaton peperit. non inutile erit epigramma christianum huc adducere (Kaibel. nr. 757), in quo inde a v. 9 haec exstant:

---

legat in errorem et perversam constructionem trahatur, diversis huius commentationis locis comparebit. nunc duo dumtaxat exempla proferam, quibus simili ratione praedicativum est traiectum. itaque inspice Thuc. VII, 57, 8: *καὶ ἔτι Μεγαρέων φυγάδες οὐ πολλοὶ Μεγαρεῦσι Σελινουντίοις οὖσι κατὰ ξυμφορὰν ἐμάχοντο*, ubi coniungendum est *Σελινουντίοις Μεγαρεῦσι οὖσι ἐμάχοντο*. qua notabili verborum collocatione mirum illud, quod Megarenses cum Megarensibus congressi sunt, magis effertur. de altero autem exemplo locus datur dubitationi; non tamen te celabo quod repetita cogitatio mihi suppeditavit, non certum quidem illud, sed quod videatur veri esse simile. in Sophoclis Oed. tyr. Creon quod Oedipus ei exprobraverat crimen his verbis refellere studet v. 599 sq.:

πῶς δῆτ' ἐγὼ κεῖν' ἂν λάβοιμ' ἀφεὶς τάδε;
οὐκ ἂν γένοιτο νοῦς κακὸς καλῶς φρονῶν.

versum 600 Bonitz in annal. Zeitschr. f. österr. Gymn. 1856. p. 651 sq. ita explicuit 'dann würde meine schlechte Gesinnung nicht richtig überlegen'. speciosa sane interpretatio, cui equidem haud obloquerer, nisi alia extaret explicatio, quae magis arrideat. nam verba *κακός* et *καλῶς* accurate sibi opposita esse collocatio indicare videtur, atque cum *νοῦς καλῶς φρονῶν* significet prudentem animi cogitationem (cf. Trach. 443), adiectivum *κακός* contrariam notionem exhibere neque animi voluntatem, sed ingenii intellectum respicere debet. talem igitur exspectamus sententiam 'si illud peterem hoc abiecto, imprudenter agerem; at tu quidem mihi concedis prudentem animi deliberationem, ita ut ineptum illud excogitare omnino non possim'. quare hac constructione indigere puto verba illa Creontis *οὐκ ἂν νοῦς καλῶς φρονῶν γένοιτο κακός*. praedicatum *κακός* paulo insolentius, si me audis, est transpositum. sed utrum re an secus opiner, aliorum esto iudicium. haec postquam scripsi, similiter verba intellegere vidi Ritterum, qui ita verba vertit 'ein Geist mit Einsicht wohl begabt, wird nimmer schlecht'. verum ab eo eatenus dissentio, ut adiectivum *κακός* alio sensu accipiam.

ζωοὺς τρεῖς ἐκύησε γόνους, μήτηρ ἐγενήθη
διισσῶν ἀρρενικῶν· τὸ δὲ θῆλυ τρίτον κατιδοῦσα
ἠοῦς ἑνδεκάτης ἔλιπε ψυχὴν ἀμερίμνως.

verba τὸ δὲ θῆλυ τρίτον κατιδοῦσα ita coniungenda esse τὸ δὲ τρίτον θῆλυ κατιδοῦσα sententiarum nexus suadere mihi videtur. hanc autem collocationem eadem acutae orationis formae consectatione excusandam vel explicandam esse elucet.

Insignis igitur est, ut exempla allata demonstrant, recentiorum temporum audacia in articuli hyperbato plerumque ita admisso, ut iudicium et elaborata ars appareat. sed hic quoque poetarum posteriorum, qua aetate pronomen ὁ articuli vim vulgo prae se ferebat, liberior usus emanasse videtur ex antiqua Homerici sermonis consuetudine, quam cognovimus in illis exemplis, quibus vocula ὁ vel ὁ μὲν pronominis demonstrativi loco usurpata a substantivo longius recessit.

Aug. 9, 1910.

§ 3. Traiectio praepositionum.

Praepositiones, quas Graeci vocant προθέσεις, in lingua Graeca et Latina, exceptis nonnullis, quae adverbiis proximae sunt, ante nomen collocari ipsa appellatio prodit. ceterum illud est memorandum et collocationem praepositionis post substantivum et accentum, quem nomini subiuncta sibi vindicat, pro genuinis esse habenda (cf. Delbrueck. Synt. Forsch. IV, Halis 1879. p. 148). itaque anastrophen praepositionis ad hyperbaton referre non debemus, nisi forte ea tempora respicimus, quibus linguae veteres ita, ut nobis sunt traditae, erant confirmatae. attamen etiam apud Homerum inter anastrophen et eam praepositionis collocationem, qua nomini suo praecedat, certum discrimen minime inveneris vel, ubi praepositio nomen sequitur, poeticae dictionis ornatum intellexeris. posteriores quidem inde aliquid insolentiae et poeticae virtutis quaesivisse videntur, ut vulgaris sermonis colorem evitarent. quid vero inter variorum temporum poetas Graecos usque ad Alexandrinos in anastrophes usu intercedat, diligentissime perscrutatus est

Tycho Mommsenus in commentatione Gebrauch von *σύν* und *μετὰ* cum Genetiv bei Eurip. Berl. 1877. p. 18 et 20 sq. not. (vide etiam eundem p. 3). cuius accurata quaestione iam factum est, ut longiore disputationis anfractu supersedere possim. quomodo differat accentus praepositionum substantivo postpositarum ab accentu praefixarum, exposuit Lehrsius quaest. epic. p. 68 sqq. magnus autem est numerus locorum, quibus anastrophe a prioribus non erat intellecta, qua restituta sunt correcti et emendati.

Ad praepositionis anastrophen redit etiam ea collocatio, qua inter substantivum eiusque attributum sedem illa habet. cf. Hom. Il. I, 350. Od. XVI, 407. Pind. Ol. XIII, 43. Soph. O. C. 125 sqq.

προσέβα γὰρ οὐκ
ἄν ποτ᾽ ἀστιβὲς ἄλσος ἐς
τᾶνδ᾽ ἀμαιμακετᾶν κορᾶν.

hoc quidem manifestum est praepositionem nomen suum subsequentem propriam vim multo magis retinere quam praecedentem. quare in Sophoclis loco praepositionis *ἐς* notio vehementer intenditur, ut perinde fere sit ac si dictum esset *ἔσω.* porro haec consecutio illic aliquanto insolentior est, quod genetivus praepositionem excipit, ponderosior ille quidem simplici adiectivo. talis praepositionis positio a poetis creberrime adscita in prosam Graecorum orationem raro irrepsit; vide Kuehneri gramm. graec. § 452, 2. adnot. 5. apud poetas Latinos eiusdem anastrophes rationis plus quam sexaginta prostant exempla; cf. Plaut. Mil. gl. IV, 2, 56. Tib. I, 9, 9. Ov. ex P. I, 2, 82. al. hoc unum in transcursu notaverim in pedestri sermone hanc praepositionis traiectionem a Livio et ante omnes a Tacito frequentari; cf. Nipperdey. ad Tac. annal. III, 10. III, 72.

Plerumque autem, ubi praepositio nomen sequitur, ea ex duabus syllabis constat et particulae tantum pronominaque enclitica intercedunt. tamen iam apud Homerum praepositio monosyllaba non semel postponitur (cf. Od. X, 96. III, 137. Il. XXIV, 397. T. Mommsen p. 18 not.) et aliae quoque voces praeter leves illas et tenues voculas inseruntur. quamquam

enim scholia et complures editores dissuadent, anastrophes ratione explicanda esse videntur verba Il. IV, 97:

τοῦ κεν δὴ πάμπρωτα πάρ' ἀγλαὰ δῶρα φέροιο.

nam in loco simillimo Il. XVIII, 191 omnes, quoad quidem vidi, anastrophen concedunt, et hic verbum παραφέρειν prorsus aliud quid et absonum ab hoc loco significaret. solutissima autem libertate hac in re utuntur poetae tragici, e quibus unum exemplum afferre satis habeo Soph. Ai. 792:

Αἴαντος δ' ὅτι,
θυραῖος εἴπερ ἐστίν, οὐ θαρσῶ πέρι.

hanc difficiliorem praepositionis πέρι transgressionem Attici quoque scriptores admiserunt; cf. Plat. apol. 19 c: οὐ ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαίω. Lehrs. l. d. p. 74. neque poetae Romani duriore praepositionis anastrophe carent, veluti Plaut. Aul. IV, 4, 27. Ter. Hec. IV, 1, 20. Hor. sat. I, 3, 68. Verg. Aen. XI, 509 sq. cf. Kuehner. gramm. lat. II, 1, p. 427 sq. hac occasione admonitus aliam singularem praepositionis collocationem commemorabo, qualis est in Hom. Od. VI, 175:

σὲ γὰρ κακὰ πολλὰ μογήσας
ἐς πρώτην ἱκόμην.

ἐς enim ante σέ locum habere exspectamus, cum πρώτην pro appositione additum et praepositio ad priorem accusativum σέ mente sit retrahenda. quo cum constructionis genere cf. ex eodem carmine XIII, 347:

ὥστε τευ ἢ παρὰ πάμπαν ἀμείμονος ἠὲ πενιχροῦ.

Nonn. Dion. IX, 85:

παιδὶ τεῷ ζώουσα σὺν ἀθανάτῳ Μελικέρτῃ.

Ov. met. VI, 177: *me regia Cadmi sub domina est.*

Reperiuntur loci nonnulli, quibus anastrophe explicationem impedit, cum praepositionem nomini suo postpositam proxime sequatur alterum substantivum, quod et idem ab ea pendere possit. facillime quidem hoc accidit, si duo genetivi concurrunt, quorum ille a praepositione, hic a nomine est suspensus, ut in epigr. Kaibel. nr. 59:

σῆς δ' ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης μνημεῖον ἅπασιν
λείπεις οἰκτρὰ παθὼν μοίρας ὕπο δαίμονος ἐχθροῦ.

ad consimile genus fortasse revocandus erit locus, quem Diltheyus benigne mihi suppeditavit, ab hominibus doctis non recte intellectus. in Philodemi epigrammate anth. Pal. VII, 222 inde a versu 5 haec extant

ἡ μούνη στέρξασα τὰ Κύπριδος ἀμφὶ γυναικῶν
ὄργια, καὶ φίλτρων Λαΐδος ἁψαμένη.

quod complures *ἀμφὶ γυναικῶν* consociari voluerunt, haud dubie nubem pro Iunone amplexi sunt; ita enim dici non potest, sive 'seorsim a mulieribus' sive 'inter mulieres' velis. itaque si in codicis scriptura est acquiescendum, ad *Κύπριδος* praepositionem referas. sed etiam aliter dubitatio existere potest, ad quodnam substantivum praepositio pertineat. ponam promiscue pauca exempla: Hom. Il. V, 865

καύματος ἐξ ἀνέμοιο δυσάεος ὀρνυμένοιο.

Od. VI, 195. Kypria frg. 6 Kinck. Catalogi frg. 130, 5. Theogn. 85 sq.:

οἷσιν ἐπὶ γλωσσῇ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστιν
αἰδώς, οὐδ' αἰσχρὸν χρῆμ' ἔπι κέρδος ἄγει.

Tib. II, 5, 66 *iactavit fusas et caput ante comas.*

quo ultimo loco coniungendum est 'et iactavit comas fusas ante caput' i. e. ante frontem. longius processit Palladas in epigrammate, quod in foeneratorem quendam scripsit ludens in duplici significatione vocabuli *ψῆφος*, anth. Pal. XI, 290:

δακτυλικὴν ψῆφόν τις ἔχων πέρι δάκτυλα χειρῶν
ψήφῳ τοῦ θανάτου προὔλαβεν εἰς ἀΐδην.

primi versus cum certe haec sit sententia: foeneratorem manus occupatum esse in calculis ponendis, ordinanda est oratio *ἔχων τὰ δάκτυλα χειρῶν περὶ δακτυλικὴν ψῆφον.* ut verba autem a poeta sunt collocata, qui versum perlegerit aut auribus perceperit, primum perversa constructione coniunget *ψῆφον* cum *ἔχων* et *περί* cum *δάκτυλα.* sed difficilis et obscura dictio in argutum epigrammatis argumentum non male quadrat. — seiunximus ab anastrophes genere eam collocationis speciem poetis usitatissimam, qua substantivum et praepositio aliis voca-

bulis separantur, praepositionem autem excipit attributum. nam his locis praepositio sequenti attributo arte adnectenda et potius traiectio attributi et substantivi intellegenda esse videtur. cf. etiam Bossler. de praepos. usu apud Pindarum. Darmstadii 1862. p. 78 sq.

Earum praepositionum, quae revera adverbia sunt et adverbiorum funguntur munere, multo licentiorem collocationem esse norunt periti. nam cum casui non tam arcte adhaereant, saepissime compluribus vocabulis et eis quidem gravioribus a nomine seiunguntur. exempli gratia cf. Hom. Il. III, 162. Aesch. Eum. 597. Eurip. frg. 395 Nauck. Thuc. IV, 9. § 2. etiam postpositae longe a casu, cui adiungendae erant, distrahuntur; sed plerumque non sine aperto consilio duriorem traiectionem esse admissam duobus exemplis docebo. Soph. Ai. 797 sqq.

πάτερ, θεοῖς μὲν κἂν ὁ μηδὲν ὢν ὁμοῦ
κράτος κατακτήσαιτ᾽· ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
κείνων πέποιθα τοῦτ᾽ ἐπισπάσειν κλέος.

adverbium ὁμοῦ cur seiunctum a nomine suo extremo versu sit collocatum, haec est causa, ut vocabulum maiorem assequatur gravitatem et eodem loco, quo in sequenti versu eius contrarium δίχα, positum fortius evadat. atque similem rationem in Theocr. XVI, 108 sq.

τί γὰρ χαρίτων ἀγαπητὸν
ἀνθρώποις ἀπάνευθεν; ἀεὶ χαρίτεσσιν ἅμ᾽ εἴην

intercedere neminem proferto fugit. difficiliorem autem seiunctionem quam in Archiae iunioris carmine, anth. Pal. X, 10, 5 sq.

σέθεν δ᾽ ἐγὼ οὕνεκα ταύτης
εὐποίΐης πέμψω πρηὺν ὄπισθε νότον,

ubi verba σέθεν ὄπισθε iungenda sunt, perquam raro inveneris.

Sed haec quae ab adverbiis proxime distant vocabula nunc omitto et ad veras praepositiones me converto, quarum insolentior dispositio linguarum antiquarum proprietatem clarius illustrat. itaque haec disquisitio paulo diutius nos demorabitur. obiter tantum commemoro praepositiones frequenter inter attributum et substantivum collocari, qua de re inspice Kruegeri

grammat. I, 68. 4, 2. poetis quidem haec sollemnis fere positura verborum, cf. G. Hermann. ad Hom. h. in Cer. 99. deinde apud Thucydidem maxime et Herodotum praepositioni eiusque casui articulo praedito genetivus a nomine aptus passim interponitur, ut Thuc. I, 32 *μετὰ τῆς ξυμμαχίας τῆς αἰτήσεως*, ubi ordo est *μετὰ τῆς εἰτήσεως τ. ξ.* verum eiusmodi orationis conformatio hanc in qua versamur causam minus attingit, cum ex inversione substantivi eiusque attributi orta sit et praepositio suum locum teneat ante notionem, cui re vera adiuncta est. eodem autem modo, quo articulus, etiam praepositio in fine versus collocatur, substantivo in principio proximi subsequente, ita ut vocis intermissione, quae versus distinet, seiuncta sit a nomine. cf. Soph. O. R. 555. Boeckh. de metris Pind. III, 22. G. Hermann. ad Aesch. Eum. 236; e litteris Latinis Verg. Aen. I, 667. Hor. sat. I, 10, 69. Prop. V, 2, 3. si linguam Graecam respicimus, semper fere particulis praepositiones a casu suo separantur, unde nullam fere esse disiunctionem recte colligas. unam particulam *καί* vi intendendi et copulandi praeditam exceperim, de qua vide § 6. etiam particula *τοί* aliquo modo gravior est quam ut separata non extollat; cf. Pind. Ol. II, 90. huc facit Arist. Eccl. v. 972 *διά τοί σε πόνους ἔχω*, ubi poeta comicus canticum eroticum imitatur. apud Romanos autem haec seiunctio per particulas facta poetis solis est concessa et apud eos ipsos raro occurrit; ab Augusti quidem temporibus hic illic deprehenditur, ut Prop. II, 9, 18. Hor. epod. 18, 3

per et Dianae non movenda numina,
per atque libros carminum,

ubi praepositio 'per' cum quadam vi in obtestationis formula ante coniunctiones est collocata. similiter vocula 'tamen' intercedit Ov. her. III, 103 met. V, 162. XI, 578. ex P. III, 48. etiam encliticis pronominum formis apud Graecorum poetas saepius praepositionis hyperbaton efficitur, cuius rei conspicuum exemplum praebet Tullius Geminus anth. Plan. 205

ἀντί μ' ἔρωτος Ἔρωτα βροτῷ θεὸν ὤπασε Φρύνῃ
Πραξιτέλης.

pronomen *μέ* enim interpositum est et metri commoditatis causa et ut voces consonantes (*ἔρωτος Ἔρωτα*) proxime compositae elegantiam quandam praeberent, quomodo vocabula *βροτῷ θεόν* sibi invicem opposita consociantur. omnia igitur versus membra, utpote antitheta, decussata inter se magis in lucem proferuntur. plerumque autem in hoc verborum ordine pronomini praeposita est particula (cf. Hom. Il. XVIII, 432. Od. XIV, 452. Aesch. Eum. 861. Callim. h. I, 10. Kaibel. epigr. nr. 705 v. 1). neque haec traiectio ab oratione pedestri est aliena (cf. Plat. Crit. 50 e *ἦ πρὸς μὲν ἄρα σοι τὸν πατέρα*). non maiore intervallo praepositio a casu diducitur, si levi pondere voculae interponuntur, veluti Pind. Ol. I, 16 sq.

οἷα παίζομεν φίλαν
ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τραπέζαν

(vide Bossler. de praep. usu ap. Pind. p. 76). Soph. Ai. 155

κατὰ δ' ἄν τις ἐμοῦ
τοιαῦτα λέγων οὐκ ἂν πείθοι,

et O. R. 137 sq.

ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀπωτέρω φίλων,
ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ τοῦτ' ἀποσκεδῶ μύσος.

cf. etiam Euphorion anth. Pal. VII, 651, 1. Statyllius Flacc. V, 5, 3. reperiuntur complures loci, quibus vox enclitica *ποτέ* post praepositionem est illata, sic dixit Pindarus Nem. VIII, 18 *ποτνίᾳ ἔν ποτε Κύπρῳ;* sed posteriores hanc collocationem saepius usurparunt, quippe quae hexametris pangendis esset accomodatissima. cf. Theocr. XVIII, 1. Callim. h. V, 57. frg. 93. Antipater anth. Pal. VII, 398, 3. Gaetulici epigr. IX, 17, 1 *ἔς ποτε βένθος.* ceterum vide de hac locutione Naeckium op. II, p. 71. O. Schneiderum Callim. I, p. 343. Fritzschium ad Theocr. XVIII, 1 in editione maiore. et ipsa oratio saluta tenui et mobili voce dirimere a praepositione substantivum passim sibi permisit; cf. Plat. legg. VIII p. 832 c *ἀλλ' ἀκόντων ἑκοῦσα σὺν ἀεί τινι βίᾳ.* eodem tendunt Demosth. XX, 3 *καὶ ὅλως ἐν οἶμαι πολλοῖς* et Xen. symp. IV, 5 *ἐπὶ νὴ Δία τοῖς ἄφροσιν*, quibus locis verba interiecta in ad-

verbiorum fere vim abierunt. Latini autem poetae huic licentiae parcius indulserunt quam plerumque Graeci et apud illos talis traiectio multo est difficilior quam a Graecis sentitur. sic pronomen est insertum Ov. ex P. IV, 14, 15

talia succensent propter mihi verba Tomitae

et trist. IV, 9, 23

trans ego tellurem, trans altas audiar undas;

similiterque adverbium intercedit Cat. 95, 1

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem

et Ov. met. II, 524

Argolica quod in ante Phoronide fecit.

indidem Baehrensius alterum Catulli versum in hunc modum refinxit 116, 4

tela infesta mihi mittere in usque caput.

Antiquarum linguarum deinde amor notiones oppositas proxime componendi, ut magis exsplendescerent, haud raro in Graecis litteris hyperbaton effecit, cuius traiectionis complura exempla iam apud Homerum extant. cf. Il, 224

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν.

Od. V, 155

παρ' οὐκ ἐθέλων ἐθελούσῃ.

Il. XXIV, 62

ἐν δὲ σὺ τοῖσιν
δαίνυ' ἔχων φόρμιγγα.

Il. XIII, 829. Od. XXII, 217. Od. V, 224 *μετὰ καί τόδε τοῖσι γενέσθω.* XVII, 285. nonnunquam accedit, ut illae voces quadam *παρονομασίᾳ* coniunctae sint, ut Pind. Pyth. X, 54

ἐπ' ἄλλοτ' ἄλλον ὥτε μέλισσα θύνει λόγον,

quo cum loco plane conspirat Aesch. Prom. 276

πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει.

oppositio autem sola conspicitur Callim. epigr. 52 (anth. Pal. V, 146)

τέσσαρες αἱ Χάριτες, ποτὶ γὰρ μία ταῖς τρισὶ κείναις
ἄρτι ποτεπλάσθη κἤτι μύροισι νοτεῖ.

in scriptorum quoque sermone quo vividior et alacrior fieret oratio, haec per hyperbaton verba componendi ratio a Graecis

est usurpata, neque in eis solum praepositionibus, quae adverbiis similes liberiorem collocationem facilius patiantur, talis separatio invenitur (cf. Plat. Phaed. p. 71 c, Thuc. VI 18, 6), sed etiam quae vere praepositiones sunt, hoc modo a casu seiunguntur; cf. Demosth. XXI 139 *καὶ πρὸς ἔτι ἕτεροι τούτοις.*

Eodem, quo exempla allata, spectat etiam id hyperbati genus, quod iam in priore paragrapho cursim attigimus, formulam dico *αὐτὸς αὑτοῦ* et quae sunt similia, ut Aesch. Prom. 760

πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων:

pronomen enim *αὐτός*, quod verbo erat adiungendum, in illis locutionibus, ut proxime cum pronomine reflexivo componatur, articulo vel praepositioni adnectitur. hanc vero collocationem non solum metri necessitate esse effectam, cum multis locis salvo metro naturalis verborum ordo restitui possit, sed ante omnia elegantiam quandam ostentare, variis eiusdem vocabuli formis iuxta positis, optime et accuratissime demonstravit Hauptius (opusc. II p. 184—189), cuius commentationi totam rem exhaurienti nihil fere habeo quod addam[1]). cf. etiam Reisigium ad Soph. O. C. p. 311, Lobeckium ad Ai. v. 906, Weckleinium ad Aeschyli locum paulo ante commemoratum. illa vero dicendi consuetudo non solum in comicorum sermone invenitur (cf. Timoclem Com. III p. 593 *τὰς αὐτὸς αὑτοῦ συμφορὰς ῥᾶον φέρει*, Philemonem, Com. IV p. 50 *τοὺς αὐτὸς αὑτοῦ βούλεθ᾽ ὑγιαίνειν φίλους*), sed etiam in prosa oratione vestigia supersunt; sic Aeschin. III, 233 *καταλέλυκεν τὴν αὐτὸς αὑτοῦ δυνάστειαν.*

---

[1]) Hoc unum commemoratione non est indignum, quomodo tragici poetae hac in re differant. Aeschylus artificiosum verborum ordinem saepissime usurpavit, nam ubicunque metrum illam hyperbati formam admittebat, eam amplexus est. Sophocles autem hic illic per hyperbaton verba *αὐτός αὑτοῦ* collocavit, Euripides nunquam a naturali serie discessit, quamquam complures extant loci, quibus metro non impediebatur, quin praepositionem vel articulum pronomine *αὐτός* seiungeret. cf. Harmsenum, de verborum collocatione apud Aesch. Soph. Eurip. capita selecta (Gotting. 1880) p. 8. itaque cum in ceteris rebus vocabulorum traiectio apud Euripidem multo artificiosior appareat, hac in formula consulto eam neglexisse videtur.

cf. Plat. Alcib. II p. 144 c, Parthen. 3 *πρὸς τῆς αὐτὸς αὑτοῦ γενεᾶς τρωθείς*. vide Weckleinium l. c., Vahlenium über d. Anfänge der Heroiden des Ovid (Berl. 1881) p. 39 sq. paulatim igitur illud *αὐτὸς αὑτοῦ* in unum coaluit multumque contulit ad pronominis reflexivi notionem augendam. sic usurpatum habes exempli causa in inscriptione Delia (Bulletin de correspond. Hellén. IV 1880 p. 354) *ἀπήστελκε Μύρινον Διονυσίῳ Ἀμισηνὸν, ποιητὰν ἐπῶν καὶ μελῶν, τὸν αὐτὸς αὑτῶ μαθετάν*. (cf. Bulletin. l. c. p. 358 adnot. 2.). Ovidius hanc dicendi formulam compluribus locis imitatus est; cf. amor. I 7, 26

et valui poenam fortis in ipse meam,

her. IX 96, XII 18, XIII 116, art. III 668, Ib. 404, 584, ex P. III 3, 46, fast. V 551; Verg. Aen. IV 223

nec super ipse sua molitur laude laborem.

sed haec praepositionis disiunctio ab Ovidio ideo est frequentata, quod versus structurae erat commoda (de formula illa 'ipse suus' praesertim in fine versus coniuncta cf. Loersium ad trist. II 2); simul auxit elegantiam usitatum verborum ordinem serie artificiosa mutans et notionem, quae inest pronomini 'ipse', traiectione magis conspicuam reddidit. inspice Vahlenum l. c.[1])

Cum supra de praepositionum hyperbato interiectis pronominibus facto agerem, illic mihi id quoque genus hyperbati commemorandum erat, quod in obtestationis obsecrationisque formulis haud raro invenitur; sed quia contexte et uno tenore hanc rem tractare mihi erat consilium, hucusque quaestionem distuli. in iureiurando enim et precibus, quibus in formulis

---

[1]) Illud pronominum consonantium iuxta ponendorum studium ad notionem augendam in lingua Graeca observatum apud Latinos cognoscitur in formula 'suus sibi', quae in sermone vulgari saepissime occurrit et e constructione orta est tali, in qua pronomen 'sibi' haberet quo referri posset. alliteratio autem effecit, ut possessivo 'suus' arte adhaereret; deinde in formulam plane abiit, cui eadem fere vis est atque 'suus, proprius'. de usu huius formulae cf. Draegeri synt. hist. I² p. 76 sq. ceterum pervulgatam illam consuetudinem, ex qua pronomina eiusdem vel diversae personae arte composita antithesin efficiunt, tetigit H. Loewius de nonnullis figuris quibus poetae Latini utuntur (Grimmae 1863) p. 27.

verbum precandi vel obtestandi saepe tacetur, non raro pronomen σέ vel nomen eius, qui invocatur, ut oratio vividior et vehementior fiat, inter praepositionem et substantivum interponitur. cf. Soph. Trach. 436 sq.

μή, πρός σε τοῦ κατ' ἄκρον Οἰταῖον νάπος
Διὸς καταστράπτοντος, ἐκκλέψῃς λόγον.

haec enim collocatio, qua casus a praepositione pendens pronomine personali interiecto disiungitur, magis attentum reddit auditorem et verbis separatis ipsis additur gravitas et omnis sententiae vis. huiusmodi ut ita dicam rhetoricae verborum traiectionis exempla apud Aeschylum nondum inveniuntur; Sophocles autem eam quam maxime frequentavit; cf. Schneidewinum ad O. C. v. 1333. posteriorum temporum poetae magnum exemplorum numerum suppeditant; cf. Eurip. Med. 324, Apoll. Rhod. III 984, Babr. 92, 4, Alexander Aetol. frg. 1, 23, anth. Pal. VII 540, 1; sed plura afferre longum est, cum commentatores et editores hunc usum abunde illustraverint; vide Kruegerum II 68, 5, 2, Elmsleyum et Porsonum ad Eurip. Med. 324, Hensii exercit. crit. in Eurip. frgg. p. 28 sqq., Jacobsium anth. Pal. III p. 359 sq. ad VII 540, 1, IV p. 748, ad XII 80, 3. singularis autem est traiectio, quam Babrius admisit loco supra iam allato 3, 17 *πρὸς τοῦ σε Πανός*, ubi accusativus pronominis in obtestatione inter articulum et adiectivum est collocatum.

Ex his omnibus exemplis cognoscimus in talibus dicendi formulis Graecos quidem solum accusativum σέ interponere esse solitos; at Latini liberiorem usum secuntur[1]). nam non modo pronomen precantis inter praepositionem et substantivum intercedit (cf. Ennii frg. 2 Ribb. p. 15 *per ego deum sublimas subices*, Ov. met. X 29), sed cum illo etiam coniunctum

[1]) Accurate litteras Latinas hac de re perscrutatus est Obbarius, über die durch die Praep. per vermittelten Bitt- und Schwurformeln in der Anrede in Philol. V p. 145 sqq. praeter quem cf. Ruhnkenii in Terentii comoedias dictata p. 57, eiusdem dictata in Ov. heroid. p. 65, Forbigerum ad Verg. Aen. II 143.

legitur pronomen eius, qui invocatur) cf. Plaut. Men. V 7, 1 *per ego vobis deos atque homines dico*, Ov. fast. II 841 *per tibi ego hunc iuro fortem castumque cruorem*). hoc modo oppositio existit; iuxta ponuntur pronomina personalia et eo, quod dirimunt vocabula arte cohaerentia, oratio fortior et efficacior evadit. insignis autem libertas et audacia eis locis apparet, quibus inter praepositionem eiusque casum traiectus est accusativus pronominis, qua transgressione obscuritas quaedam sermonis efficitur; nam cum prior accusativus ad praepositionem referri possit ratione habita formae grammaticae, tamen sententia postulat, ut praepositio cum remotiore casu coniungatur. non libet proponere exempla undique conquisita; adscribantur selecta haec, Ter. And. V 1, 15 *per ego te deos oro*, Tib. I 5, 7 sq. *per te furtivi foedera lecti, per Venerem quaeso compositumque caput*, id. IV 5, 7, Ciris 273. neque scriptores hanc collocationem spreverunt, ut poeticum quendam impetum affectarent et altius assurgerent; cf. Liv. XXXIII 9 *per ego te, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque*, Apul. met. IV 31 *per ego te, inquit, maternae caritatis foedera deprecor* et ibid. VI 2. propriam autem et peculiarem licentiam sibi permisit Lygdamus, Tib. III 1, 15 sq.

per vos, auctores, huius mihi carminis, oro
Castaliamque umbram Pieriosque lacus.

nam praeterquam quod longiorem appositionem et verbum finitum simul interponere non reformidavit, hoc loco ambiguitas augetur particula 'que', quae priori accusativo a 'per' pendenti addita est, ita ut leviter versus perlegenti haec particula copulativa non solum alterum 'que' respicere, sed etiam accusativo 'vos' alterum accusativum adnectere videatur. similem traiectionem statuendam esse in Ciris versibus 324 sqq. recte Silligius cognovit

sin est quod metuo, per te, mea alumna, tuumque
expertum multis miserae mihi rebus amorem,
per te, saeva, precor per lumina et Ilithyiae,
ne tantum in facinus tam nulla mente feraris.

nam cum respondeant sibi invicem 'que-et', locus ita est construendus 'te, mea alumna, precor perque tuum amorem et per saeva lumina Ilithyiae'. artificiosa quidem est et difficilis haec verborum collocatio, sed a poeta huius carminis, operoso labore Alexandrinos imitante vel certum aliquod exemplar Alexandrinum exprimente (cf. Rohdium, der griechische Roman, p. 93 sq.), fortasse no naliena; sic etiam codicum scriptura 'perdere salva precor flumina Ilithyiae' facillime sanatur.

Non parvi momenti mihi esse videtur quaestio, num Romani Graecorum usum secuti hac traiectione sint usi. Obbarius quidem ita rem sese habere arbitratur; dicit enim 'die natürliche Ordnung scheint die ursprünglich lateinische zu sein; die Komiker haben zuerst die verschränkte Structur in die Schriftsprache eingeführt; das griechische Idiom mochte auch hier massgebend sein'. difficile quidem est hanc rem decernere; tamen cum Romani maiorem libertatem adsumpserint et in pedestrem quoque orationem contortam collocationem receperint, propensam aliquo modo semper in hanc rem fuisse Latinae linguae facultatem putare malim. neque Romanorum sermonem, ubi oratio assurgeret, antiquitus insolentiorem praepositionis collocationem ignorasse docet Festi in alia, sed simili re testimonium, quod infra apud tmesin sum prolaturus.

Ab his obtestandi formulis nunc ad audaciores praepositionum disiunctiones progrediamur. iam apud Homerum, ut a lingua Graecorum initium faciamus, extant nonnulli loci, quibus praepositio a casu insolentissime est separata neque tmesin statuendo audacia tollitur. sic Hom. Il. XI 830

ἐσθλά, τά σε προτί φασιν Ἀχιλλῆος δεδιδάχθαι

coniungendum est *προτὶ Ἀχιλλῆος*, quamquam interpositum invenitur verbum. fortasse metrum hanc traiectionem suasit, quia alio modo versus stare non poterat; nam si ita versum poeta constituisset *ἐσθλὰ, τά σε πρὸς Ἀχιλλῆός φασιν δεδιδάχθαι*, neque rhythmus tam eleganter decurreret et caesura omnino abesset aut inusitata existeret. in Od. XIII 130

Φαίηκες, τοίπερ τοι ἐμῆς ἔξ εἰσι γενέθλης

eadem praepositionis per verbum encliticum seiunctio agnoscenda

est, cum ἔξειμί τινος pro ἔκ τινός εἰμι graece dici non possit. neque nisi in tertia persona ἔξ cum εἰμί omnino componatur (vide Lehrsii quaest. ep. p. 99). pariter Il. XVII 569

ἐν δὲ βίην ὤμοισι καὶ ἐν γούνεσσιν ἔθηκεν,

cum ἐν ante γούνεσσιν positum cum hoc substantivo coniunxeris, item in priore membro (ἐν δὲ βίην ὤμοισι) non tmesin, sed seiunctionem praepositionis a casu intellegas. hac autem vocabuli βίην interpositione id ipsum maiorem assequi accentum et gravius in aures cadere facile sentias. alia exempla, quae eodem spectant, sunt Od. IX 535 (cf. XI 115)

εὕροι δ' ἐν πήματα οἴκῳ,

Od. VI 167

ἐπεὶ οὔπω ἀνήλυθεν ἐκ δόρυ γαίης,

Il. XXIII 160

παρὰ δ' οἵ τ' ἀγοὶ ἄμμι μενόντων,

Il. I 481 sq.

ἀμφὶ δὲ κῦμα
στείρῃ πορφύρεον μέγα ἴαχε νηὸς ἰούσης,

Il. II 465 sq.

αὐτὰρ ὑπὸ χθὼν
σμερδαλέον κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.

his omnibus locis homines docti inusitatam seriem ita explicant, ut praepositiones adverbiorum loco positas esse dicant. cf. Naegelsbachium in adnott. ad Il. I 482, Ameisium ad Od. II 80. genuina quidem omnium praepositionum vis eadem est atque adverbiorum, quae iam per se posita notionem aliquam exercent eaque de causa liberiorem collocationem patiuntur. deinde sermo, qui in carminibus Homericis conspicitur, ad hanc genuinam notionem propius accedit. tamen cum casus, qui a particula illa regitur, vim, quam cum praepositione coniunctus exercet, sine ea plerumque non habeat et quae dicuntur προθέσεις, iam apud Homerum semper fere cum substantivo cohaereant, illis locis, quibus subiectum aut obiectum aut verbum inter praepositionem et substantivum intercedunt, de liberiore praepositionum collocatione cogitare nobis licet. denique ex hymnis Homericis componam hic exempla, quae forte collecta habeo, IV 122, V 213 et 117 sq., 182 sq.

Posteriorum autem temporibus, ubicunque hae voculae verbis ponderosis separantur, magna poetarum libertas est cognoscenda. inter quos singularem licentiam sibi permisit Pindarus. cf. Ol. I 17

ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου
λάμβανε, [1])

Pyth. IV 24 sq.

ἀνίκ' ἄγκυραν ποτὶ χαλκόγενυν
ναΐ' κρημάντων ἐπέτοσσε.

subiectum insertum est Pyth. IV 239

πρὸς δ' ἑταῖροι κρατερὸν ἄνδρα φίλας
ὤρεγον χεῖρας.

atque ipso verbo finito seiunctio efficitur Ol. VI 53

ἀλλ' ἐν
κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ βατείᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ,

nam cum alterum ἐν ad substantivum pertinere plane appareat, prius quoque ἐν non cum verbo, sed cum dativo σχοίνῳ coniungere praestat. tali verborum collocatione cum singula vocabula, tum maxime vocem interpositam, quippe quae ipsa per se percipienda et intellegenda sit, magis efferri omnemque sermonem existere fortiorem et elatiorem certum est. vide Bosslerum, de praep. usu ap. Pind. p. 76 sq. etiam in tragicorum canticis, quorum orationis color ad audaciores traiectiones maxime est accomodatus, hic illic similia exempla, quibus praepositio et nomen interposita voce gravi et significanti divelluntur, extant, quamquam pro numero non tam multa quam apud Pindarum. cf. Eurip. Bacch. 130

παρὰ δέ μαινόμενοι Σάτυροι
ματέρος ἐξανύσαντο θεᾶς [2]).

---

[1]) De versu Pyth. IV, 228

ἀνὰ βωλακίας δ' ὀρόγυιαν σχίζε νῶτον
γᾶς

adhuc sub iudice lis existere potest, utrum cum Boeckhio ἀνὰ ὀρόγυιαν coniungendum an ex aliorums ententia(cf. Piersonum in Mus. Rhen. XI 392, Bosslerum, de praepos. usu ap. Pind. p. 73) tmesis sit statuenda.

[2]) Certe diiudicari non potest, num etiam Aesch. Sept. 924

ὑπὸ δὲ σώματι γᾶς πλοῦτος ἄβυσσος ἔσται

sed ne a dialogo quidem hoc hyperbati genus amovendum est; nam Eurip. Hel. 1565 sq.

οἱ δ' εἰς κέλευσμ' ἐλθόντες ἐξανήρπασαν
ταῦρον, φέροντες δ' εἰς ἔθεντο σέλματα

non scribendum esse *εἰσέθεντο*, sed *εἰς* ad *σέλματα* pertinere Hermannus recte exposuit; 'facile quidem verba neutralia cum accusativo loci, in quem quid sese infert, coniunguntur, ut *εἰσπίπτειν*, *ἐσθορεῖν*, non item quae activa potestate etiam alterum accusativum additum habent'. praeterea cf. Soph. O. R. 455

ξένην ἐπὶ
σκήπτρῳ προδεικνὺς γαῖαν,

Eurip. Ion. 262

γενναίων τ' ἀπὸ
τραφεῖσα πατέρων,

Aesch. Prom. 66 *αἰαῖ, Προμηθεῦ, σῶν ὑπὸ στένω πόνων*, ubi verbum *στένω* propter traiectionem inter praepositionem et casum firmiore sono pronuntiari continuo percipias. his quos extremos attuli locis praepositionis a substantivo disiunctio eo deminuitur et lenitur, quod adiectivum proxime antecedit; tamen duo priores eo sunt insignes, quod etiam fine versus praepositiones et substantiva separantur.

Alexandrini deinde poetae et qui eorum consuetudinem secuntur, frequenter liberiorem praepositionum transpositionem usurparunt. cf. Theocr. XXIX 24

κῆμε μαλθακὸν ἐξ ἐπόησε σιδαρίω,

et Agathiam anth. Pal. XI 376, 5 *τέκεν δ' ὑπὸ παῖδας ἐκείνῳ*. in Stratonis quoque epigrammate anth. Pal. XII 21, 5 sq.

ἀλλὰ πρὶν ἐλθεῖν
τὰς φθονεράς, Φείδων, θῶμεν ἐπ' ἔργα λόγοις,

quamquam per tmesin haec verba explicare licet, seiunctionem praepositionis a casu intellegere malim, quoniam hyperbato ser-

---

coniungendum sit *ὑπὸ γᾶς* an *ὑπό* pro adverbio habendum et *γᾶς* a substantivo *πλοῦτος* pendere sit statuendum. duplici enim modo locum intellegi posse iam scholiastes animadvertit. atque si quis Hermanni mutationem *χώματι*, facilem illam quidem et mutationis specie probabilem, praetulerit, non litigabimus cum eo contumacius.

monis cultus fit delicatior et notiones contrariae magis acuúntur, neque Stratoni, quem Alexandrinorum more rariora captavisse constat, insolentius aliquid tribuere anxie est verendum. alia insignis audaciae exempla sunt Callim. frg. 530 ἐπὶ τρύγα δ᾽ εἶχεν ἐδωδῇ (ex hac analogia etiam Theocr. XVIII 8 praepositionem non ad verbum, sed ad substantivum referas) et Antagoras anth. Pal. VII 103, 3 sq.

ἄνδρας ὁμοφροσύνῃ μεγαλήτορας, ὧν ἀπὸ μῦθος
ἱερὸς ᾔισσεν δαιμονίου στόματος.

plurimum autem ab hac parte Callimachus sibi indulsit frg. 213

ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου,

ubi substantivum a praepositione usque ad finem enuntiati remotum est, ut nomina sibi contraria arte componerentur.

Mira certe haec est vocabulorum traiectio, sed ne a prosa quidem oratione tale quid prorsus abesse docet Thucydidis locus VI 76 *καὶ οὐ περὶ τῆς ἐλευθηρίας ἄρα οὔτε οὗτοι τῶν Ἑλλήνων οὔθ᾽ οἱ Ἕλληνες τῆς ἑαυτῶν τῷ Μήδῳ ἀνέστησαν, περὶ δ᾽ οἱ μὲν σφίσιν, ἀλλὰ μὴ ἐκείνῳ καταδουλώσεως, οἱ δ᾽ ἐπὶ δεσπότου μεταβολῇ οὐκ ἀξυνετωτέρου, κακοξυνετωτέρου δέ,* ubi praepositio *περί*, quam etiam in anastrophe liberius saepe poni vidimus, duriore modo a genetivo *καταδουλώσεως* separata est; in principio autem enuntiati locum tenuit, quasi omnem sententiam regeret, cum postea eius vices suscipiat *ἐπί*.

In priscorum Latinorum poesi semper fere prope adhaeret praepositio substantivo. tamen iam apud Lucilium graviore vocabulo disiunctam invenimus frg. 37 ex l. XXVII L. Mueller *in concedere unum atque in eo dare quod spectatur manus.* item Afranius Ribb. p. 176 nr. 16

viden ut facunde contra causaris patrem,

et, si codices verum verborum ordinem servarunt, etiam Plautus in carmine ancillarum novam nuptam deducentium Cas. IV 4, 1

sensim super attolle limen pedes, nova nupta.

deinde postquam Alexandrinos poetas Romae diligentius legere coeptum est, difficiliora praepositionum hyperbata accrebruerunt. cf. Cat. 64, 101

cum saevum cupiens contra contendere monstrum,

Lucr. I 72, II 731, IV 826, al. cf. Kuehneri gr. lat. II 1, p. 427, Streifingerum, de synt. Tibull., Wirceb. 1881 p. 44. componemus autem e nube exemplorum nonnulla satis memorabilia, quorum comparatio non erit infructuosa; Hor. od. III 15, 5, Prop. I 18, 7

qui modo felices inter numerabar amantes,

idem V 8, 31

altera Tarpeios est inter Teia lucos.

cf. Priapea 40, 1, Verg. ecl. VI 19, Ov. remed. 113

post tamen hic multos sanatus creditur annos,

Ib. 504

ora super fixi quem cecidere suis,

trist. IV 8, 11 sq.

inque
securus patria consenuisse mea,

ubi praeter traiectionem adiectivo 'securus' effectam etiam fine versus praepositio a casu suo disiungitur; praeterea Ov. ex P. I. 2, 150

iure venit cultos ad sibi quisque deos,

quocum loco conferas similem versus exitum art. III, 376 [1]). huc referendus est Horatii locus sat. I, 3, 70

amicus dulcis, ut aequum est,
cum mea compenset vitiis bona.

particula 'cum' non pro coniunctione, sed praepositione est accipienda; ita enim et coniunctivus intellegitur et constructio recte sese habet 'compensa cum vitiis bona mea'. aliter si locum explicare velis, ita ut 'cum' pro coniunctione habeas, exspectare debeas sic esse scriptum 'compenset vitia mea bonis meis'. (vide Heindorfium a. h. l.). considera porro Verg. ecl. IX 35 sq. expressum illud ex Theocr. VII 40

---

[1]) Alius Ovidii locus hic commemorandus est, quem Lucianus Mueller (mus. Rhen. XVII p. 525) ita scripsit, Ov. art. III 343 sq.

deve tener libris titulus quos signat amorum
elige, quod docili molliter ore legas.

quae si vera est coniectura, haec traiectio eo est insignis, quod inter praepositionem eiusque casum locum occupat vox, quae non ad idem enuntiatum, sed ad sententiam relativam pertinet.

nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Callimacho consimilem licentiam, ut praepositionem et substantivum in initio et fine enuntiati poneret, adscivit Tibullus I 6, 30

iussit amor; contra quis ferat arma deos?

qua verba disponendi ratione et praepositionis notionem augeri et simul substantivum fortiorem consequi accentum nemo est qui non videat. cf. Tib. I 7, 56. non possumus hoc loco silentio praeterire hyperbaton, quod Maecenas in carminibus admisit. Quintilianus enim IX 4, 28 inter exempla contortae verborum transgressionis, in qua Maecenas sibi placuerit, hunc trimetrum affert [*et*] *inter sacra movit aqua fraxinos*, quae verba in hunc modum coniungere non dubitamus 'sacra aqua inter fraxinos movit', ita ut movere sensu intransitivo sit accipiendum [1]) et praepositio 'inter' non liberiore collocatione a

[1]) Vario modo homines docti huic loco succurrere studuerunt. Spaldingius, quod 'intermovere' latine dici non possit, scribi voluit *inter sacra manat aqua fraxinos*, atque tmesin intellexisse videtur, quae in praepositione 'inter' non ita raro invenitur. Halmius locum pronomine 'se' addito sanare instituit *inter se sacra movit aqua fraxinos.* sed omnino in librorum scriptura acquiescendum est, cum illud 'movere' pro 'moveri' vel 'se movere' in Maecenatis genere eloquendi nihil offensionis habeat. ille enim priscae Latinitatis usum hoc loco secutus esse videtur, qua aetate multa verba sensu intransitivo usurpabantur, quibus posteriora demum tempora obiecto apposito transitivam notionem tribuerunt (cf. H. Muellerum, de generibus verbi, Gryphiswaldiae 1864 p. 38 sq.) verbum autem 'movere' et in pristina et in seriore Latinorum sermone intransitive adhibetur. plerumque quidem 'movere' sensu intransitivo usurpatur in formula 'terra movet', quod de terrae concussu dicitur; cf. Liv. XXXV 40 sub finem *terra dies duodequadraginta movit*, Liv. XL 59, 7, Suet. Claud. 22 *observavit sedulo, ut quotiens terra in urbe movisset.* sed etiam alio sensu hoc verbum per se solum positum inveniri, praesertim in prisca Latinitate e Gellio IV 6 cognoscimus *ut terram movisse nuntiari solet eaque res procuratur, ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nuntiatum esse senatui in sacrario in regia hastas Martias movisse. eius rei causa senatus consultum factum est — eiusque exemplum hoc est: quod C. Julius, L. filius, pontifex nuntiavit in*

substantivo distrahatur quam in Horatii loco, cuius paulo post mentionem faciam (carm. I 14, 19). praeterea quam saepe praepositio 'inter' traiecta inveniatur, docent haec exempla Hor. carm. III 3, 37 *inter saeviat Ilion;* III 15, 5 *inter ludere virgines;* III 27, 51 *inter errem nuda leones;* Ov. her. IV 117, amor. III 6, 63, II 11, 3, remed. 611, met. XV 864, ex P. IV 10, 2, fast. IV 363 (ubi 'ait' interpositum est).

Ad finem perducta esset haec de praepositionum hyperbato quaestio, nisi singularem collocationem et maxime artificiosam transgressionem hucusque reservassem. extant enim nonnulla praepositionis a substantivo seiunctae exempla, quae ita sunt comparata, ut inter utrasque voces alterum substantivum vel nomen interponatur, quod e grammatices quidem legibus a praepositione et ipsum pendere possit; tamen e sententiarum conexu apparet πρόθεσιν illam cum casu remotiore esse iungendam. hac constructionis conformandae ratione obscuritas quaedam et ambiguitas orationis existit, cum idem vocabulum duplicem patiatur relationem. sed ad singulos locos accuratius examinandos accedamus. primum huc faciunt Romanis frequentatae illae traiectiones, quas in obtestandi formulis supra perlustravi, dico structuram qualis est *per te deos oro*, ubi durior est locutio, quod primo obtutu 'per' cum 'te' coniunxeris. in Graecorum quidem lingua propterea, quod πρός in obsecrationibus genetivum regit, similis obscuritas exoriri non poterat; at aliis locis pronominis accusativus pariter inter praepositionem et substantivi accusativum intercedit. cf. Callim. epigr. 2 (anth. Pal. VII 80) ἐς δέ με δάκρυ ἤγαγεν, ubi coniungendum est ἐς δάκρυ με ἤγαγεν. hinc Agathiam, qui inprimis Callimachi vestigia secutus est (cf. Diltheyum de Callim. Cyd. p. 101 et Anal. Callim. p. 33), certum

---

sacrario regiae hastas Martias movisse, de ea re ita censuerunt. aliud exemplum e posteriore aetate et sermone poetico petitum, quod Maecenatis loco optime convenit, praebet Senec. Troad. 1178 sq.

repetite celeri maria, captivae, gradu;
iam vela puppis laxat et classis movet.

est eodem modo vocabula disposuisse (anth. Pal. V 237, 3) *ἐς δέ με δάκρυ βάλλουσιν*, similis est causa in Alciphronis rhetoris epist. III 37, 3 *εἰς γάρ με τὸ συνηρεφὲς ἀγαγὼν, οὗ τὸ πύκνωμα συνεχές ἦν τῶν δένδρων*, et Apoll. Rhod. III 638

περί μοι ξείνῳ φρένες ἠερέθονται [1]).

haec autem exempla non tam difficilia sunt, quod tantum pronomen encliticum interpositum est; multo maiorem libertatem eis locis concedere debemus, quibus graviore pondere vocabula hyperbaton obscurum effecerunt. hic primum omnium locum obtinent celeberrima illa Propertii verba V 1, 3 sq.

primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

---

[1]) Boeckhius hoc hyperbati genus Pindaro quoque impertivit, cum Pyth. II 65 sq. edidit

βουλαὶ δὲ πρεσβύτεραι
ἀκίνδυνον ἐμοὶ ἔπος ποτί σε πάντα λόγον
ἐπαινεῖν παρέχοντι,

ita ut ordo esset *ἔπος σε ποτὶ πάντα λόγον ἐπαινεῖν παρέχοντι.* veteres codices omiserunt *σέ* et libri inferiores exhibent *ποτί ῥα πάντα λόγον.* Boeckhium igitur si sequimur, peculiarem habemus collocationem, quod quis iungere possit *ποτί σε.* neque vero hanc insolentem praepositionis traiectionem in Pindari carmina inferentes ultra fines a poeta sibi positos evagamur, quippe qui saepius verba cum quadam ambiguitate ordinaverit, quod deinceps diversis huius commentationis locis demonstrabitur. atque in ipsa praepositione traicienda Pindarum ita sibi indulsisse, ut etiam perspicuitatem orationis neglegeret, patet ex Pyth. XI 13 sqq., ubi Bergkii scriptura maxime arridet et allubescit

ἐν τῷ Θρασυδαῖος ἔμνασεν, ἑστίαν
τρίτον ἔπι στέφανον πατρῴαν βαλών,
ἐν ἀφνεαῖς ἀρούραισι Πυλάδα
νικᾶν ξένου Λάκωνος Ὀρέστα.

cum Hermanno anastrophen praepositionis, non tmesin intellegas et *ἐπί* cum *ἑστίαν πατρῴαν* coniungas, ita ut praepositio traiecta sit inter alterum accusativum ad *ἐπί* omnino non pertinentem. iam vides, unde posteriores singularem illam praepositionis transgressionem didicerint, quam in contexta oratione longius persequamur.

si verborum collocationem respicimus, ita construere oportet 'Itala orgia per Graios choros ferre'; neque haec sententia omnino non potest intellegi. attamen cum cogitatio, quam translatione speciosa exprimere poeta volebat, certe haec sit, Graeca carmina Romanos docere se velle, collatis locis similibus (Verg. georg. III 176, Hor. carm. III 30, 13) verborum ordinem hunc in modum solvendum esse apparet 'Graios choros per Itala orgia ferre'. qua de explicatione, quae unice vera esse videtur, cf. Hertzbergii comment. in Prop. p. 246, qui tamen, quid huic hyperbato sit maxime singulare et proprium, minus expresse indicavit. neque vero in eo erat acquiescendum, sed quaerere debebat, ecquo certo exemplo compar licentia demonstrari posset. e litteris Graecis ad hunc locum proxime accedit Mosch. IV 34 sq.

καί κεν ἕνα χρύσειον ἐς ὀστέα κρῶσσον ἁπάντων
λέξαντες κατέθαψαν.

praepositio *ἐς* pertinet ad substantivum *κρῶσσον* et alter accusativus *ὀστέα* interiectus est; quaesita autem est verborum collocatio, quod duo vocabula (*ἕνα* et *ἁπάντων*) in initio fere et fine versus sunt posita, ut sibi invicem addant maiorem vim et firmiorem sonum. atque idem hyperbati genus Fixius restituit in epigrammate ex Crameri anecd. Paris. tom. IV p. 385 (cf. Piccolos, supplément à l'anthologie Grecque, Paris 1853 p. 158). totum autem epigramma, quomodo Fixius illud coniecturis complevit, descripsi, quod paulo accuratius de eo agere institutui.

εἶπεν Ἔρως τὸν καλὸν ἰδών ποτε παῖδα Μυΐσκον·
δωροῦμαι τάδε σοι τόξ' ἐμὰ καὶ φαρέτρην·
δωροῦμαι καὶ πτηνὸν ἐμὸν βέλος· εἰ δ' ἐπὶ χείλεα
χεῖλος ἐμὸν θείης, λάμβανε καὶ πτέρυγας.

postrema verba ita sunt coniungenda *εἰ δὲ χείλεα ἐπὶ χεῖλος ἐμὸν θείης, λ. κ. πτ.* haec contorta verborum collocatio, quamquam Piccolos eam improbat, neque caret aliorum exemplorum similitudine et propter acutam formam orationis consilio quaesita

est. adscribendi autem sunt versus poetae alicui Alexandrino vel Alexandrinorum asseclae, qui talem sermonis obscuritatem data opera admisit[1]).

Ex Augustae aetatis poesi Latina complures loci huc conveniunt. sic apud Horatium inter praepositionem et accusativum nominis pronomen 'te' interpositum habes carm. IV 1, 19

---

[1]) Videtur mihi lectorum commoditas eo esse adiuvanda, ut epigramma, priusquam de eo disputare pergam, ita hic apponam, ut ex codice id Cramerus exaravit.

Εἶπεν Ἔρως τὸν καλὸν ἰδὼν . . . ωρίσκον·
δωροῦμαι, τὰ δ᾽ ἐμὰ τόξα σοι καὶ φαρέτρην·
δώρουμαι καὶ πτηνὸν . . . ά γε χείλεα
χεῖλος ἐμὸν θείης, λάμβανε καὶ πτέρυγα.

si Fixius recte v. 1 *Μυΐσκον* restituit, quod ego quidem persuasum habeo, certum fere est Meleagrum epigrammatis fuisse auctorem, cuius in carminibus hoc pueri nomen passim occurrit; cf. anth. Pal. XII 144, 159, 167. de versu tertio quamvis dubitare liceat, tamen venusta et scita est Fixii coniectura neque argumenta, quibus Piccolos usus est, eam labefactare possunt. quod autem ipse nescio quo somnio excogitavit

δωροῦμαι καὶ πτηνὸν ἀοιδὸν, ἐφ᾽ ᾧ σά γε χείλεα
χείλεσ᾽ ἐμοῖς θήσῃς· λάμβανε καὶ πτέρυγα,

quorum verborum hanc esse sententiam dicit 'je te donne aussi cet oiseau chanteur, à condition, que tu appliqueras tes lèvres sur les miennes; tu peux même pour garantie tenir une des ailes', approbent qui mirabilibus delectantur. nam praeter elisionem litterae in v. extremo, quam hi poetae non admiserunt, et caesuram ingratam versus 3, sententia ipsa est inepta, ut longiore refutatione supersedere possim. si quis in Fixii scriptura offendit, quod *ἐπί* cum accusativo coniunctum est, ubi dativus est usitatior, similiter accusativum cum praepositione *ἐπί* apud quiescendi verba inveniri reputet. unum illud *ἐμόν*, proxime antecedente *ἐμά*, in poeta politissimo displicet, atque cum lacuna sit in codice, praestat fortasse supplere, quod Diltheyo in mentem venit, *ἰδοῦ*. verum tamen dubitanter modo Fixii inventum est accipiendum; praetulerunt, quod non silebo, *ὑπὸ χείλεσι χείλεα θεῖσα* et *περὶ χείλεσι χείλεα θεῖσα*, si fides codici est, Meleager anth. Pal. VI 171 et Gaetulicus XI 409, cum etiam *ὑπὸ* vel *περὶ χείλεα χείλεσι θεῖσα* dicere potuissent. sed in hoc epigrammate iusto iure a coniectando abstinebimus, donec aliquando accuratior codicis notitia erit divulgata.

Albanos prope te lacus
ponet marmoream sub trabe citrea.

aliquo modo audacius est Vergilii illud Aen. II 278

vulneraque ille gerens, quae circum plurima muros
accepit patrios.

artissimum autem cum Propertii loco cognationis vinculum intercedit panegyrici in Messalam versibus 184 sq.

cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
horrea fecundas ad deficientia messes,

ubi perplexum verborum schema ita solvendum est 'horrea deficientia ad fecundas messes'. neque aliter explicaveris ex eodem carmine v. 114 sq.

ipse tamen velox celerem super edere corpus
gaudet equum,

et Prop. IV 4, 18

et subter captos arma sedere duces.

fortasse his exemplis aliquid probabilitatis additur Schipperi opinioni (specim. liter. exhibens observ. crit. in Prop. Groningae 1880 p. 83), qui librorum scripturam Prop. V 11, 20 tuetur

in mea sortita vindicet ossa pila,

non vero 'in' ad 'mea ossa' refert, quod 'vindicare in ossa' puniendi notione nec huic loco nec Corneliae innocentiae convenit, sed 'in sortita pila' coniungit. egregie huc facit etiam Ovidii versus amor. I 6, 68

dura super tota limina nocte iace.

an putas protinus, qui forte Vergilii verborum *super nocte media* (Aen. IX 61) meminerit, intellecturum eum esse praepositionem non ad 'tota nocte' pertinere, sed ad remotius nomen 'limina' esse referendam? qua de re consule Diltheyum in indice lectionum Gotting. 1884/85 p. 7; qui et alterum Ovidii locum, a prioribus sine suspicione dimissum, eadem traiectionis figura leni manu sanavit, cum her. XVII 191 ita correxit

neve putes in me, quod abest, promittere tempus[1]).

accusativus pronominis praepositionem eiusque casum eodem pacto distinet atque in exemplo Horatiano supra citato. miraberis conspicuum librorum mendum 'id me' tam longo tempore indeprensum latere potuisse. proclive autem fuit librariis pro 'in' substituere 'id', quod praepositionem cum proximo vocabulo pro sua sapientia coniungebant. huic certae viri doctissimi coniecturae liceat adnectere emendationem, de qua residet aliquid dubitationis. in Ciris poemate, quod qui composuit Catullum maxime est imitatus, vulgo legitur inde a v. 54

complures illam et magni, Messala, poetae —
nam verum fateamur, amat Polyhymnia verum —
longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestare voraci.

fortasse ex ipsis codicum HR vestigiis restituendum est

complures illam et magni, Messala, poetae ....
longe aliam perhibent mutatam in membra figuram etc.

quae verba ita coniungas 'illam membra mutatam in aliam figuram'. in hac nostra sententia non leviter confirmati sumus, cum vidimus Silligium idem consignasse. commemoranda denique sunt duo Horatii exempla, quorum in uno epod. 2, 65 sq.

positosque vernas, ditis examen domus,
circum renidentis lares

optionem damus inter Nauckii sententiam, qui participium 'renidentis' vocabulo 'vernas' adiungendum esse autumat, et ceterorum opinionem, qui 'renidentis' ad accusativum 'lares' pertinere et interpretandum esse dicunt 'refulgentes a foco luculento', aut 'tersos ac politos'. sed ut hic locus in incerto relinquitur, sic in altero carm. I 14, 9 sq.

inter fusa nitentis
vites aequora Cycladas

---

[1]) Oblata occasione adnotaverim, brevitatis causa in hac disputatione utendum mihi esse quamquam invito falsa, sed tralaticia appellatione poetarum, quorum nomina nemo memoriae tradidit.

firmissime assevero verba hunc in ordinem esse redigenda 'vites aequora fusa inter nitentis Cycladas'. 'interfusa' enim scribere non licet, cum casum dativum efflagitet.

Si quis autem seiunctae praepositionis exempla, quibus plana perscipuitas orationis interiecto altero casu deperdita sit, accuratius perlustraverit, Alexandrini qui dicuntur poetae cum sua secta fere soli e Graecis hanc licentiam sibi permisisse videntur. atque id consulto fecerunt, ut antiquiores supergressi consummatam elegantiam et concinnitatem assequerentur orationemque redderent vividam, expressam, acutam. at non prorsus antea inaudita et plane solitaria sunt ausi, sed verisimile est raram lyricorum poetarum libertatem in exemplum sibi sumpsisse illos, quibus quo insolentius aliquid erat dictum, eo magis imitatione dignum videbatur. inde ad Latinorum poetas novos haec audacia pervenit, qui Alexandrinorum carmina diligentissime lectitabant et ad eorum artem totos sese applicabant. verum enimvero ad eiusmodi structuras linguae Latinae alacritatem et quasi agilitatem facultatem dedisse poetis et quasi provocavisce, cum per se consentaneum est, tum comprobant obtestationum illae formulae iam a poetis scenicis quadam constructionis ambiguitate insignitae.

§ 4. De tmesi.

Cum quaestione ea, quae est de disiunctione praepositionum, proxime cohaeret figura illa grammatica, quae vocatur 'tmesis'; plerumque enim tmesis id hyperbati genus dicitur, quo praepositio a verbo composito separatur uno aut compluribus vocabulis interiectis. sed a priore paragrapho hanc figuram seiunxi, quia etiam in aliis vocabulis e duobus membris compositis hic illic conspicitur.

Apud Homerum tmesis praepositionis non minus est usitata quam eius cum verbo compositio; non igitur ad propriam poeticae dictionis libertatem, sed ad communem antiquioris Graeci sermonis usum pertinet, ex quo illis temporibus, quibus

carmina Homerica orta sunt, praepositiones magis adverbiorum adhuc naturam prae se ferebant; ea enim praepositionis collocatio, quae tmesis appellatur, genuina est. vide T. Mommsenum l. c. p. 18. apud insequentium autem temporum poetas poetica sane figura in hac traiectione est cognoscenda, neque sine consilio et arte aut metri necessitate sola coacti eam admiserunt. saepe difficile est diiudicatu, utrum tmesin an praepositionis a casu seiunctionem intellegere debeamus; qua de causa non parvis difficultatibus impedita est quaestio, quam late pateat huius figurae usus et quosnam fines singuli poetae sibi imposuerint. de antiquiorum poetarum Graecorum tmesi, praesertim scenicorum et lyricorum, accuratissime egit Pierson in Mus. Rhen. XI p. 90 sqq., 260 sqq., 379 sqq., qui singulis locis causam et effectum seiunctionis quidque inter poetas et varia poesis genera intercederet, tam subtiliter indagavit, ut nobis otium fecerit. quare pauca tantum in universum disputare sufficiat. magnum exemplorum numerum collegit etiam Kruegerus II 68, 48, 4.

Ante omnia tmesi notio praepositionis, quae in composito multo est deminuta, pristinam fere vim redipiscitur atque emphasin quandam consequitur. deinde totius orationis colori per tmesin elegantia et motus additur variaeque animi cogitationes consecutione quoque verborum vere effinguntur. nonnunquam etiam sola metri ratio talis disiunctionis occasionem dedit. sic in Sapphus frg. 52 Bergk.

δέδυκε μὲν ἁ σελάνα
καὶ Πληιάδες, μέσαι δὲ
νύκτες, παρὰ δ᾽ ἔρχετ᾽ ὥρα,
ἐγὼ δὲ μόνα καθεύδω

tmesis eam ob causam est adhibita, ut diducto composito *παρέρχομαι* tarda noctis praeteritio verbis quasi lentis *παρὰ δ᾽ ἔρχεται ὥρα* pingeretur. sed etiam festinanti rhythmo eam esse accomodatissimam apparet in Pind. Ol. XIII 62 *ἀνὰ δ᾽ ἔπαλτ᾽ ὀρθῷ ποδί;* quomodo enim virgo celeriter e somno excitatur, eodem modo tmesis acceleratam quandam et abruptam quasi orationem ostentat. cf. etiam Theocr. II 55 sq.

αἰαῖ Ἔρως ἀνιαρέ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
ἐμφὺς ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

verborum collocatio et numeri ipsi animi cogitationibus exprimendis egregie inserviunt; vox *βδέλλα* praepositioni eiusque verbo interposita longe maiorem vim et gravitatem nanciscitur.

Ex Theocriti exemplo cognoscere licet, non solum particulas monosyllabas et pronomina enclitica interponi, sed etiam graviora vocabula. maxime quidem hoc poesis lyricae elatiori sono proprium est (cf. Aesch. Prom. 878), tamen aliis quoque locis idem inveniri certum est (cf. Aesch. Ag. 1215). inter illos maxime insignes sunt ei, quibus praepositionem sequitur substantivum, cum quo, qui haec recitari audiat, facilius quam cum verbo eam construat, aut inter praepositionem et verbum, cui adiungenda est illa, alterius verbi forma interposita est, ad quod praepositio eodem modo pertinere possit. cf. Pind. Ol. II 69

ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
ψυχάν,

quo loco verborum collocatio quidem non obstat, quominus *ἀπὸ ἀδίκων* construas, tamen usus verbi *ἀπέχειν* tmesin suadet. vide Bosslerum, de praep. usu ap. Pind. p. 73; Aesch. Ag. 154 sq., 964 sq. utramque difficultatem coniunctam habes in Simonidis frg. 5, v. 18 (Bergk. poet. lyr. III[4] p. 388)

ἐπί τ' ὔμμιν εὑρὼν ἀπαγγελέω,

ubi *ἐπί*, quamvis et ad *ὔμμιν* et ad *εὑρών* per se quidem refferri possit, cum verbo *ἀγγελέω* coniungendum est. similis est causa in Dionysii epigrammate anth. Pal. VI 3, 4

χλωρὸν ἀπὸ δρεπάνῳ θῆκε ταμὼν ῥόπαλον,

et in Metrodori versu anth. Pal. XIV 137, 1

δάκρυ παρὰ στάξαντες ἀμείβετε.

hoc quoque commemoratione dignum est, praepositionem saepe per tmesin verbo postponi etiam pluribus verbis interiectis; cf. Ruhnkenii epist. crit. p. 133; append. epigr. anth. Gr. 235, 2; Iacobsium ad anth. Pal. VI 218, 1. Atticis autem poetis Kruegerus (II 68, 48, 5) hanc praepositionis tmesin

anastrophicam, ubi graviora verba interposita sunt, abiudicavit; tamen nisi per tmesin explicari non posse videntur versus Eurip. Her. 504

Ἀγαμέμνονος πέμψαντος, ὦ γύναι, μέτα

(cf. T. Mommsenum l. c. p. 17) et Soph. Phil. 343

ἦλθόν με νηὶ ποικιλοστόλῳ μέτα.

in Graecorum pedestri oratione tmesis omnino rarissime occurrit; Herodotus quidem eam saepius usurpavit, cf. Kruegerum II 68, 47, 1—4; Attici autem scriptores hanc figuram paene ignorant; vide tamen Kruegerum I 42, 5, 1—3; et cf. Lucian. adv. indoct. 1 *τὸ δέ σοι περὶ κάτω χωρεῖ*, de dea Syr. 48 *ἀνά τε λύει τὸν δεσμόν.*

Vt ex eis, quae hucusque exposuimus, elucet, in Graeca lingua tmesis tantum ad praepositiones a verbo suo seiunctas pertinet, et haec quidem figura in poetarum carminibus haud raro invenitur. apud poetas Latinos idem genus multo minus est frequentatum, quamquam in prisca Latinitate saepius reperitur, quam in cultissimae aetatis poematis; maxime enim illic metri commodo tmesis inservire videtur. cf. Plaut. Curc. I 1, 85 *si quid supra illi fuerit,* Trin. IV 1, 14, *distraxissent disque tulissent,* Ennii annal. frg. 4 e libro XIII p. 56 Vahlen.

Annibal audaci cum pectore de me hortatur
ne bellum faciam,

Lucil. frg. p. 100 v. 916 editionis Lachmannianae

iuratam se uni, cui sit data deque dicata.

huc etiam facit, quod Festus (p. 309 Mueller) tradidit *sub vos placo* in precibus olim dictum esse pro 'vos supplico', ubi praepositio separata pristinam adverbii naturam ostentat et idem illud studium in obtestationis formulis observatum cognoscitur in grandi genere loquendi praepositionem seiunctim ponendi. praeterea cf. Hor. sat. I 1, 86

cum tu argento post omnia ponas,

quo loco sententiae vis maxime in praepositione posita est.

cum tmesi etiam anastrophe coniuncta invenitur, veluti Verg. Aen. II 792

ter conatus ibi collo dare bracchia circum.

At in lingua Latina haec figura latius patebat, cum aliae quoque voces ex duobus membris compositae in partes suas dirimerentur. frequentissime a pronomine relativo seiungitur 'cunque', cf. Holtzii synt. prisc. lat. p. 219, et Hor. carm. I 9, 14, Ov. met. VII 584, Cic. de orat. III 6, Apuleii apol. cap. 54 *quod conditum cunque*; coniunctiones 'antequam' et 'priusquam' similiter per tmesin collocantur, cf. Hertzbergium ad Prop. III 25, 26; atque adverbium 'per', quod pro 'valde' ponitur, nonnunquam divellitur ab eo vocabulo, cui vim addit, quam et ipsam vulgo tmesin vocant, cf. Plaut. Cas. II 6, 18. tales autem vocabulorum seiunctiones plerumque metri vinculo esse factas, comprobant ea exempla, quibus vox nisi per tmesin distracta in versum quadrare non possit, Ov. met. XII 497 *inque cruentatus*, Verg. Georg. III 381

talis Hyperboreo septem subiecta trioni,

quocum loco conferas Ov. met. I 64. maximam autem libertatem, quae excusari vix potest, Ennius sibi assumpsit loco iam a veteribus grammaticis saepe citato (frg. 122, p. 85 Vahlen) *saxo cere comminuit brum.* vide etiam Lachmannum in commentario Lucretiano p. 190, Hauptii op. III 357.

§ 5. De adverbiorum traiectione.

Adverbia cum eo fungantur officio, ut verba aut adiectiva aut adverbia accuratius definiant, his vulgo aut anteponuntur aut proxime subiciuntur. sed haud raro cum emphasi quadam a suis vocibus aliis vocabulis insertis seiunguntur. sic Hom. Il. II 314

ἔνθ' ὅγε τοὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας

adverbium *ἐλεεινά* ad participium *τετριγῶτας* pertinet, ut *ἐλεεινὰ οἰμώζειν* dictum est XXII 408. praeterea cf. Od. IV 505 *μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος*, Callim. h. IV 86

ταῖς μὲν ἔτ' Ἀπόλλων ὑποκόλπιος αἰνὰ χολώθη,

cui prorsus similis est locus Theocriti id. II 137

καὶ νύμφαν ἐσόβησ' ἔτι δέμνια θερμὰ λιποῖσαν,

ubi Meinekius antea sine causa idonea mutavit ἐπιδέμνια; adiectivum enim θερμά ab adverbio seiunctum acuto accentu pronuntiatur. postpositum est adverbium Babr. 100, 1

λύκῳ συνήντα πιμελὴς κύων λίην,

Quint. Smyrn. XIII 271

κάλλιπε τυτθὸν ἐνὶ μεγάροις ἔτι παῖδα.

ceterum vide Schneiderum ad Callim. h. IV 205. neque orationi pedestri haec traiectio est incognita; cf. Xen. conv. IV 40 οὐδὲν οὕτως ὁρῶ φαῦλον ἔργον, Cyrop. VI 4, 8 ἥξειν αὐτῷ σε πολὺ μᾶλλον Ἀράσπον ἄνδρα καὶ πιστότερον καὶ ἀμείμονα; Thuc. II 83 ὅπως μὴ ξυμβοηθῶσιν οἱ ἀπὸ θαλάσσης ἄνω Ἀκαρνᾶνες, ubi adverbium ἄνω, cum verbo ξυμβοηθῶσιν coniungendum, post verba ἀπὸ θαλάσσης transpositum est, ut res contrariae, eo quod inter se opponuntur, magis conspicerentur. nonnunquam autem adverbiorum hyperbato orationis ambiguitas efficitur, cum incertum sit, quo adverbium spectet, neque cum proximo verbo, sed remotiore construi debeat. iam locis illis Homericis, quos supra attuli, haec licentia cognoscitur; pariter obscura est oratio in Sophoclis versu, a multis quidem pro subditicio habito, sed a Boeckhio recte, ut mihi videtur, defenso (vide etiam Kirchhoffium über die Entstehungszeit des Herodoteischen Geschichtswerks, Berl. 1878 p. 8 sq.) Antig. 904

καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ,

ubi εὖ cum ἐτίμησα, non cum φρονοῦσιν iungendum esse sententia suadet. itaque apparet non opus esse Nauckii transpositione in Euripidis versu Ion. 358

τὰ κοινὰ χαίρων μοῦνος οὐ δίκαια δρῷ.

cum codicum scriptura

τὰ κοινὰ χαίρων οὐ δίκαια δρᾷ μόνος

superiore exemplo satis defendatur; immo consulto poeta, cum

obscuritatem facile vitare posset, *μόνος* ad exitum versus traiecit, quippe quod maximam sententiae vim contineat. neque magis dispicio causam, cur mutetur Eurip. Hel. v. 810

οὔτω σιδήρῳ τρωτὸν οὐκ ἔχει δέμας;

nam quod Atticos poetas a tali collocatione in diverbiis prorsus abhorruisse dicit Nauckius, non recte iudicare videtur, si quidem codicum auctoritati maior quam nostris opinionibus reverentia est habenda. ad Euripidis igitur exemplum Lycophro orationem conformavit, cum in Alexandrae v. 457 prorsus eadem verborum dispositione locutus est

χαλκῷ τορητὸν οὐκ ἔτευξεν ἐν μαχῇ.

nspice Scheerii programma scholasticum infra saepius laudandum, Ploenae 1876 editum p. 8: praeterea cf. Theocr. XVII 107

μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ κέχυται μογεόντων,

quo loco vide Fritzschii adnotationem. longe audacissima seiunctio in epigrammate Leonidae Tarentini, non Alexandrini illius longe inferioris, anth. Pal. VII 731 apparet

ἄμπελος ὣσ ἤδη κάμακι στηρίζομαι αὐτῷ
σκηπανίῳ.

quorum verborum cum haec sit sententia 'sicuti vitis ricida sustinetur, sic ego iam baculo nitor', adverbium *ἤδη*, quod ad verbum finitum *στηρίζομαι* pertinet, in enuntiatum comparativum traiectum est. qua cum collocatione cf. Plat. Gorg. p. 153 c *ἀλλ' ἐὰν πολλάκις ἴσως καὶ βελτίον ταῦτα ταὐτὰ διασκοπώμεθα, πεισθήσῃ*, ubi similiter transposita est vocula *ἴσως* pro *ἀλλ' ἴσως, ἐὰν πολλάκις . . . διασκοπώμεθα, πεισθήσῃ;* tamen aliquanto lenius hoc, quoniam *ἐὰν πολλάκις* et leviora pondere vocabula et inter se paene coalescunt. sed cum infra de simili libertate accuratius acturus sim, cf. ea quae § 12 explicantur.

Romanorum usum in traiciendis adverbiis si consideramus, similes fere seiunctiones reperiuntur. cf. Plaut. Stich. II 1, 23 *tam gaudium grande*, Trin. III 3, 68

quamvis sermones possunt longi texier,

ubi adverbium 'quamvis' ad adiectivum 'longi' spectat. in Mil. gl. III 1, 15

sterilis hinc prospectus usque ad ultimamst plateam probe,

'probe', quod idem fere est ac 'plane' et adiectivum 'sterilis' accuratius definit, in versum extremum transpositum est, ut magis efferretur; accedit, quod Plautus adverbium a verbo aut adiectivo seiunctum in ultimo versu ponere amat (cf. Brixium ad Trin. 465). illud quoque hyperbati genus a poetarum oratione non abhorret, quod adverbium ante vocabulum aliquod locum habet, quocum quis construere possit, quamvis verbo aut adiectivo adnectendum sit longiore intervallo distracto. qua de re cf. Plaut. Amph. II 2, 15

nulla res tam delirantis hominis concinnat cito,

ubi 'tam' ad 'cito', non ad 'delirantis' est referendum. alia exempla sunt Hor. carm. II 8, 15

semper ardentis acuens sagittas
cote cruenta,

Ov. met. IX 476

ille quidem est oculis quamvis formosus iniquis,

Prop. I 16, 47

sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
fletibus aeterna differor invidia,

ubi 'semper' non cum 'amantis', quod et idem transpositum est, sed per hyperbaton cum verbo finito 'differor' coniungas, figura a Propertio aliis quoque locis usurpata, cf. III 24 ^{b}, 18 [1]), V 2, 45. exquisitius adverbii traiecti exemplum praebet Ovidius art. I 544

vix sedet et pressas continet ante iubas;

'ante' enim, quod adverbii loco positum est, ad participium 'pressas' pertinet, et cum huic adiungendum sit, verbo finito divellitur.

Hoc loco addere mihi liceat pauca verba de hyperbato interiectionum, quae voces admodum mobiles cum adverbiorum

---

[1]) In numeris carminum describendis Hauptianam editionem Propertii sequor.

traiectione aliquo modo comparari possunt. sic particula *ὦ* vel *ὤ*, quae vocativo e communi sermonis Graeci usu praecedere solet, a poetis nonnunquam adiectivo et substantivo interponitur, praesertim ubi grande dicendi genus affectant et invocationem quam maxime dignam reddere student (vide Bernhardii wissenschaftl. Synt. p. 71). ita iam apud Homerum illud *ὦ* collocatum habes Od. IV 26 *διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε,* Il. IV 189 *φίλος ὦ Μενέλαε,* aliis locis; vide Hermannum ad h. Hom. in Ap. 14. praeterea cf. Eurip. Bacch. 565 *μάκαρ ὦ Πιερία* et carmen, quod et ipsum Euripidis esse videtur (Bergk. poet. lyr. III[4] p. 744) *πότνι' ὦ σοφία.* a prosa oratione hanc collocationem alienam esse contendit Kuehnerus ausführl. Gr. II p. 44. inverso deinde ordine substantivum praecedit, adiectivum sequitur, ut exempli gratia Hom. Od. XX 199 *χαῖρε, πάτερ ὦ ξεῖνε,* Soph. Ai. 396 *ἔρεβος ὦ φαεννότατον;* cf. Pind. Ol. VIII 1, Tymnen anth. Pal. VII 199, Crinagoram 401, 7, Antipatrum VI 109, 9. notabilis, sed non diversa est traiectio in Stratonis epigrammate anth. Pal. XII 208, quod Diltheyus in Mus. Rhen. XXVII p. 310 ita emendavit

εὐτυχὲς ὦ, φθονέω, βιβλίδιον, ἦ ῥά σ' ἀναγνοὺς
παῖς τις ἀναθλίβει, πρὸς τὰ γένεια τιθείς.

etiam Latinorum vocula 'o' saepe inter substantivum eiusque attributum sedem habet, veluti Ov. art. III 87 *genus o mortale.* prorsus vero singularis huius poetae audacia est, quod art. I 617

quo magis o faciles imitantibus este puellae

particulam a vocativo longiore intervallo et toto enuntiato separavit; cf. etiam fast. VI 652

nunc ades o coeptis flava Minerva meis.

Reliquae deinde particulae cum a principio enuntiati sedem habere debeant, saepe mediae orationi interponuntur; cf. Schneiderum Callim. I p. 354. illud unum monere satis habeo, formulam *εἰ δ' ἄγε,* quae in adverbii vim plane abiit, ab Homero semper initio enuntiati positam, a posterioribus nonnunquam in medio enuntiato collocatam esse. ut duobus exemplis rem conficiam, ita dixit Callimachus h. III 81

Κύκλωπες, καὶ ἐμοί τι Κυδώνιον εἰ δ' ἄγε τόξον τεύξατε

et Apoll. Rhod. IV 758. apud Latinorum poetas scenicos particula illa, quae asseverationem aliquam continet, interdum in praecedenti enuntiato secundario ponitur, quamvis eam in primario sedem habere oporteat; loquentis enim animus interiectionem cum festinatione quadam praesumere videtur; cf. Plaut. Trin. II 4, 56 *si hercle occipam, votes*, ubi vide Brixium, qui complura exempla attulit.

Negationum quoque insolentiores collocationes optime huic paragrapho subiunguntur; cuius hyperbati generis cum late pateat usus, paucis eisque luculentis exemplis munere defungamur. rariora quaedam Euripidis iam antea ad partes citavi; itaque hic expromam Xen. mem. III 9, 6 *μὴ ἃ οἶδε*, quod dictum est pro *ἃ μὴ οἶδε*, et Eurip. Phoen. 526

οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς.

Hensius, exercit. crit. (Halis 1868) p. 58 altero loco coniecturam proposuit *οὐκ εὖ λέγειν χρὴ πλὴν καλοῖς ἔργοις ἔπι.* quaesivit, ni fallor, nodum in scirpo; minus celebratum enim, sed Euripidi saepius probatum negationis hyperbaton statuendum esse videtur, cum naturalis ordo sit *ἐπὶ τοῖς ἔργοις μὴ καλοῖς* i. e. 'si res non pulcrae sunt'; omnem autem vim voce *μή* contineri ideoque ob rhetoricam causam transpositionem esse factam evidens est. insignes porro sunt ei loci, quibus negatio ante vocabulum est collocata, a quo cogitatione est seiungenda, ut Hom. Il. V 150

τοῖς οὐκ ἐρχομένοις ὁ γέρων ἐκρίνατ' ὀνείρους,

ubi *οὐκ* cum *ἐκρίνατο* construendum est. eodem tendunt Theogn. 953 sq.

πρήξας δ' οὐκ ἔπρηξα καὶ οὐκ ἐτέλεσσα τελέσσας·
δρήσας δ' οὐκ ἔδρησ', ἤνυσα δ' οὐκ ἀνύσας,

et Eurip. Hipp. 94

ὀρθῶς γε· τίς δ' οὐ σεμνὸς ἀχθεινὸς βροτῶν;

Euripidei versus cum sensus certe hic sit 'sed quis aequo plus gravis non omnium ilico in sese vertat odia?', iungas *οὐ* cum praedicato *ἀχθεινός.* similiter obscuravit sententiam Thucydides

II 40 τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρόν. denique ex lingua Latina affero duo exempla Plaut. Men. III 2, 3

non faxo eam esse dices,

ubi interposito 'faxo' negationem disiunctam habes, cum non ad hoc membrum pertineat, sed construendum sit 'faxo eam non esse dices' (cf. Brixium ad Trin. 409) et Tib. IV 14, 3

crimina non haec sunt nostro sine facta dolore,

quae verba ita sunt ordinanda, ut 'non sine nostro dolore' arte consocietur.

§ 6. De hyperbato coniunctionum.

In sententiis secundariis, quae coniunctionibus incohatae sunt, unam alteramve vocem, hic illic etiam plura vocabula, coniunctionibus praemitti et eas ipsas ab initio in mediam orationem transgredi satis est notum. nam cum coniunctiones singulis enuntiatis in unum copulandis inservientes omni pondere sint destitutae, veteres vocabula, quae pondere suo praevalerent, ab initio ponere soliti, quas dixi particulas, prout composita erat oratio, longiore saepe intervallo a principio recedere sunt passi. haec res orationi ad venustatem et gravitatem concinnandae maxime apta etiam versibus pangendis magnum praebet commodum, quare poetae hac libertate usi nonnunquam longe processerunt, ut Pind. Pyth. IV 122 ἂν πέρι ψυχὰν ἐπεὶ γάθησεν et Callim. h. in Dian. 108 sq.

ἀέθλιον Ἡρακλῆι
ὕστερον ὄφρα γένοιτο.

quod autem coniunctionibus, idem fit pronominibus relativis; cf. Crinagorae epigr. anth. Plan. 273, 3

τοι γὰρ ἀνῖαι
ὄρνυνται δολιχῶν ὁππόσαι ἐκ πυρετῶν

et Ov. her. V 18. XI 24

et tibi, non debet quod soror esse, fui.

sed hanc quaestionem accuratius tractare a consilio huius com-

mentationis abesse videtur, cum tales traiectiones saepissime inveniantur neque in numerum minus usitatorum hyperbatorum sint referendae. ceterum vide Holtzii synt. p. 221 et Naekium, carmina Valerii Catonis p. 295—302. hoc unum obiter monebo, eandem esse rationem, ubi alia vocabula, quae ab initio enuntiati collocari debent, in mediam orationem transgrediuntur, ut pronomen interrogativum. cuius in traiectione singularem licentiam adscivit Satyrus in epigrammate anth. Plan. 159, 2

αἰθομένης ἥψατο τίς φαρέτρης;

ubi et ipsum verbum finitum pronomini praecedit[1]).

Maiorem autem ordinis verborum libertatem agnoscas, si coniunctiones, quae enuntiata primaria aut sibi paria copulant, in alienum locum traiectae leguntur, cuius particularum collocationis causa in ipsa antiquarum linguarum natura atque indole quaerenda esse videtur. cum huic rei iam ab aliis multum curae impensum esse videamus, nos in hac parte quam maxime poterimus compendium facturi extrema tantum lineamenta ducemus. atque primum quidem particula *τέ*, quae proprie secundum locum obtinet, haud raro post plura vocabula collocatur. cf. Hom. Il. V 442

ἀθανάτων τε θεῶν χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων.

in exemplis ita comparatis quod *τέ* tertio loco est positum, facile excusari potest, cum primae duae voces non discernantur, sed in unam notionem coalescant. at haec ratio non usque

---

[1]) Huc etiam apte revocanda esset pronominis demonstrativi *ὁ δέ* collocatio, quam Froehnerus (Philol. Suppl. V 1 p. 9 sq.) intellexisse sibi videtur in Antiphili epigrammate anth. Plan. 147, 5 sq.

χά μὲν ἀπὸ σκοπέλοιο χαλᾷ πόδας, ἠθάδι νάρκᾳ
νωθρὸν ὁ δὲ μναστὴρ νυμφοκομεῖ τὸ γέρας,

si quidem recte ita interpunxisset orationem. sed valde vereor, ut talis traiecti pronominis *ὁ δέ*, cui primus sententiae locus dandus est, insolentia exemplo ullo comprobari possit. de emendatione autem huius distichi non constat. ceterum, quod fugit Froehnerum, epigramma retractavit Diltheyus in indice lectionum Gotting. 1881/82 p. 5. nuperrime de eo disputavit Weilius in Rev. de philol. 1885 p. 104.

quadrat in posteriorum exempla Aesch. Prom. 138, Sept. 902, Pind. Ol. III 18, Arist. Av. 258; cf. Bergkium, poet. lyr. III[4] p. 384. de recentiorum usu vide Jacobsium in anth. Pal. tom. III p. 391 ad VII 680, 4 et Hermannum in Orphicis p. 815. Graecae particulae τέ omnino respondet Latinorum 'que', quod Augusti temporibus quam crebro sit traiectum, compertissimum est. sed iam Lucilium hanc particulam initio detraxisse putat L. Muellerus, cum eius frg. Lachm. p. 118 v. 1608 ex coniectura ita constituerit

principio dignum exodiumque sequetur.

quamquam ambigua est res in his Lucilianeis nimis frustatim concisis. elegiae deinde cultores quantum sibi ab hac parte indulserint, haec exempla demonstrent Ov. art. III 676 sq.

suspiret ab imo
femina tam sero cur veniatque roget,

remed. 501 sq.

deceptum risi qui se simulabat amare,
in laqueos anceps decideratque suos,

trist. V 7, 66

a contemplatu dimoveoque mali,

amor. III 13, 30, fast. III 562. in hoc quoque ceteros adaequat Tibullus cum suis (cf. Leo, Philol. Untersuch. II 26 sqq.), qui in hac particulae traiciendae consuetudine impense sibi placuisse videtur, ut pentametrum iambico verbo clauderet. vide etiam Prop. III 20, 12. Graecae copulae τέ mentione semel iniecta aliud genus commemorabo, apud scriptores Atticos illud pervulgatissimum. particula enim τέ, cui respondet καί, multifariam ita collocata est, ut nisi per anacoluthon explicari non possit. exemplo utar Thuc. IV 115 *ἠμύναντό τε ἐκ φαύλου τειχίσματος καὶ ἀπ᾽ οἰκιῶν ἐπάλξεις ἐχουσῶν*, ubi τέ transpositum est post *ἠμύναντο*, quasi alterum verbum finitum deinde sequeretur. contraria res est Thuc. IV 127 *οἱ λοιποὶ χωρήσαντες δρόμῳ ἐπί τε τοὺς φεύγοντας τῶν Μακεδόνων, οἷς ἐντύχοιεν, ἔκτεινον, καὶ τὴν ἐσβολὴν ... φθάσαντες προκατέλαβον.* ceterum vide Sauppium ad Plat. Protag. 325 b, Naegelsbachii adnot. ad Il. II 136, Schnorr v. Carolsfeld, verbor. coll. Hom. p. 30—33.

Particula autem *δέ*, quae eodem modo ex communi Graecae linguae usu secundum locum occupat, apud poetas interdum post plura vocabula ponitur. cf. Theocr. VI 39

ὡς μὴ βασκανθῶ δέ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον,

Apoll. Rhod. IV 271, epigr. apud Kaibelum nr. 256 v. 4; Jacobs. anth. Pal. III p. 127 ad VI 20, 2, Hermann. Orph. p. 820. at antiquiores quoque poetae *δέ* tertio vel quarto loco posuerunt, ut Aesch. Pers. 729, 748, Hesiod. op. 46, 112; vide Dissenium ad Pind. Ol. VI 74, Erfurdtium ad Soph. O. R. 749 et de Homerico usu Schnorr v. Carolsfeld p. 48 sqq. etiam in prosa oratione remotiore loco *δέ* invenitur, praesertim ubi verba, quae particula sequitur, in unam conceptionem possunt comprehendi; cf. Demosth. *περὶ τῶν ἐν Χερρ.* § 29 *ἀλλὰ νὴ Δία ταῦτα μὲν ἐξελέγχονται, δεινὰ ποιοῦσι δὲ οἱ ξένοι περικόπτοντες τὰ ἐν Ἑλλησπόντῳ.*

Similis ratio conspicitur in collocatione coniunctionis *γάρ*, quae iam in Homeri carminibus tertio loco ponitur, si duo vocabula quae praecedunt arte inter sese cohaerent, cf. Il. XXI 331. ceteri poetae et ipsi *γάρ* non traiecerunt nisi pondus sententiae verba haberent, quibus *γάρ* subnexum est; cf. Hermannum ad Aesch. Ag. 1106 et Coeph. 1018. nam cur Aeschylus Prom. 29

θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον

γάρ traiecerit, luce clarius est, nempe ut *θεὸς θεῶν* proxime componerentur. atque quod Callimachus h. IV 70

τόσσα Διώνυσον γὰρ ἃ καὶ Δάμαρτα χαλέπτει

particulam post *Διώνυσον* transposuit, excusatio est petenda e magna vi sententiae, quae in nomine proprio continetur. de recentiorum autem epicorum consuetudine vide Hermannum in Orph. p. 826.

Particula deinde *ἀλλά* apud Homerum semper initium enuntiati occupat; nam quod casus vocativus ei nonnunquam praecedit, non est necessaria traiectio (cf. Schnorr v. Carolsfeld p. 44 sq.); sed iam poetae tragici eam transponere sunt ausi; cf. Soph. El. 411, Eurip. Hec. 341. praeterea compara Callim. h. in Iov. 18 et epigr. V 11; anth. Pal. IX 234 et

559, epigr. ap. Kaib. nr. 30 v. 5, nr. 42 v. 3; vide Naekii opusc. II 180 et Jacobsium anth. Pal. not. crit. p. 535. neque ab oratione pedestri hanc traiectionem alienam esse exemplis comprobavit Heindorfius ad Plat. Parm. p. 127 d. huc etiam quadrat Aristophaneum illud Nub. 652 *κατὰ δάκτυλον; νὴ τὸν Δία ἀλλ' οἶδ'*, ubi similia citavit Teuffelius. Latinorum copula adversativa 'sed' mediae orationi inserta apud poetas Augustae aetatis non valde est inusitata; at Ovidius audacissime eam transposuit amor. I 5, 14

pugnabat tunica sed tamen illa tegi,

et her. XI 106

amissae memores sed tamen este mei.

praeterea ne satis nota me diutius commorentur, cf. Streifinger de synt. Tibull. (Wirceb. 1881), qui p. 40 sqq. harum et similium particularum inversionem est persecutus.

Priusquam ad coniunctionem copulativam *καί* transeam, summo brachio attingenda est eiusdem particulae collocatio sensu 'etiam' adhibitae. nonnullis locis illud *καί* praepositioni eiusque substantivo intercedit, cum e communi Graeci sermonis consuetudine ante praepositionem locum habeat. itaque attendenda sunt haec Pind. Ol. II 28 *λέγοντι ἐν καὶ θαλάσσᾳ* et Callim. h. III 157 *βάλλ' ἐπὶ καὶ τούς*. similiterque, ut hoc praeripiam, locutus est Propertius II 9, 18

tunc etiam felix inter et arma pudor.

sed hunc verborum ordinem rectius ad hyperbaton praepositionis referas, cum *καί* a vocabulo, cui vim addit, nullo intervallo seiungatur. nostram causam magis attingit versus Hom. Od. XVII 379 *σὺ δὲ καί ποθι τόνδε καλέσσας*, ubi *καί* cum *τόνδε* coniungendum est. cui adnectatur ex eodem carmine alter locus, quo non ita facile hyperbaton exortum est, Od. XV 488

ἀλλ' ἦ τοι σοὶ μὲν παρὰ καὶ κακῷ ἐσθλὸν ἔθηκεν.

rerum conexus hanc esse sententiam docet 'multas quidem res adversas passus es, sed praeter haec infortunia Iupiter tibi etiam res secundas tribuit'; itaque particula *καί* vocabulo *ἐσθλόν* applicanda erat; studium autem illud notiones contrarias iuxta

ponendi et traiectionem particulae *καί* et praepositionis hyperbaton effecit. neque aliter Apoll. Rhod. I 121

σὺν καί οἱ Ὕλας κίεν ἐσθλὸς ὀπάων.

complura exempla congessit Naegelsbachius in adnot. ad. Il. I 213. huc etiam referendus esset Theocriti versus id. XV 25

ὧν ἴδες, ὧν εἶπες καὶ ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι,

si modo codicum scriptura recte sese haberet; ita enim *καί* per hyperbaton coniungendum esset cum *τῷ μὴ ἰδόντι.* at cum pares verbi temporum formae (*ἴδες, εἶπες*) diversa significatione intellegendae offensionem praebeant, praeferenda esse videtur commutata lectio *εἴποις κεν.* de alia particulae *καί* traiectione vide G. Hermannum ad Mosch. III 120. unus autem locus eo est notabilis, quod *καί* i. e. 'etiam' substantivo, cui praecedere debebat, postponitur, Nonni Dionys. XLVI 340 sq.

ἐσαθρήσῃ δὲ Κιθαιρὼν
μητέρα καὶ μετὰ παῖδα κυνοσπάδα.

sic enim verba sunt intellegenda 'Cithaeron autem, ut filium, ita etiam matrem conspiciat a canibus dilaceratam'.

Adgredientibus nobis eos inspicere locos, quibus *καί* coniunctionis fungitur officio singulaque enuntiata vel sententiae membra inter se copulandi habet facultatem, verendum paene est, ne non simus operae pretium facturi. nam in nonnullis eorum quae disputabimus ab eo viro dissentimus, qui eximia ingenii acie praeditus tam accurate et diligenter de hac copula traiecta disseruit, ut merito tibi diffidas, ubi a sententia eius discedendum esse opineris. sed utrum vera aut similia saltem veri sint quae prolaturi sumus, doctorum hominum esto iudicium. Hauptius igitur in observationibus criticis (nunc op. I 126 sq.) longae disputationis hanc facit summam, ut antiquiores poetas copulam *καί* nunquam transposuisse, recentiores autem ab Alexandrinorum aevo eam initio detrahere nonnunquam ausos esse statuendum sit. reperiuntur apud Pindarum aliquot loci, quibus *καί* inter praepositionem et substantivum collocatum est ut in exemplo modo citato, verum ab illo differunt, quod *καί* vim particulae copulativae habere videtur. cf. Ol. VII 25 sq.

τοῦτο δ' ἀμήχανον εὑρεῖν,
ὅτι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τυχεῖν,

Pyth. X 58

ϑαητὸν ἐν ἅλιξι ϑησέμεν ἐν καὶ παλαιτέροις.

Hauptius in his ut sententiam suam sustentaret, artificiosam interpretationem protulit, unum καί duplicis particulae vicarium esse, ita ut καί significaret 'etiam', sed simul comprehenderet enuntiata et quaedam breviloquentia agnoscenda esset, cum plena oratio fuisset 'nunc et etiam in fine, inter aequales et etiam inter seniores'. G. Hermannus in recensione Hauptii libelli (in Iahnii annalibus tom. XXXIII a. 1841 p. 256) illud καὶ coniectura removere conatus est, non suo iure, ut mihi videtur. eo quo Hauptius censuit modo particulae καί collocationem explicari posse concederem neque oblocutus essem, nisi alia exempla extarent, quibus traiectio copulae intellegenda est et quae se invicem tuentur, ne coniectura temptentur. cf. Pind. Isthm. VI 27 sqq.

ἴστω γὰρ σαφές, ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζον αἵματος
πρὸ φίλας πάτρας ἀμύνεται,
λοιγὸν ἀντιφέρων ἐναντίῳ στρατῷ,
ἀστῶν γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων
ζώων τ' ἀπὸ καὶ ϑανών.

versus 30 ita est construendus ζώων τε καὶ ἀποϑανών, atque καί hoc loco particulam copulativam esse praecedens τέ clare demonstrat. deinde quomodo Arist. Ach. 884

ἔκβαϑι τῷδε κἠπιχάριττε τῷ ξένῳ

explicari possit nisi per traiectionem voculae καί, ego quidem non video; quod Hauptius autem contendit καὶ non pertinere ad τῷδε, sed simpliciter esse dictum pro ἔκβαϑι καὶ ἐπιχάριττε τῷδε τῷ ξένῳ, nimis argutule dicit. huius versus cum duo membra haec sint ἔκβαϑι et ἐπιχάριττε τῷδε τῷ ξένῳ, particulam καί, quae enuntiata conectit, secundo loco positam ideoque esse traiectam pro certo habeo. similiter in Aristophanis Pace 416 sq.

ξύλλαβε
ἡμῖν προϑύμως τήνδε καὶ ξυνέλκυσον

τήνδε non ad ξύλλαβε referri debet, sed si accusativus recte se habet, cum ξυνέλκυσον coniungendum est. neque aliter nisi

hyperbato copulae *καί* in Eurip. Med. 181 sq. ex difficultatibus te expediveris; Orestis enim loco v. 299 adverbium *φίλα* minime defendere licet (cf. G. Hermannum l. c. p. 255). unus e poetis tragicis restat locus, qui Hauptium fugisse videtur. Soph. Phil. 1208 haec extant in codicibus *κρᾶτ' ἀπὸ πάντα καὶ ἄρθρα τέμω χερί.* ne *πάντα* cum *κρᾶτα* coniungas, ratio impedit. si igitur librorum scripturam retinere velis, facere non poteris, quin *καί* insolenter traiectum esse iudices. quamquam leni verborum transpositione hyperbaton removeri Bergkio libenter concedas. his exemplis comparatis iam antiquioribus Graecorum poetis hyperbaton copulae *καί* impertiemus, qui etiam in alia traïectionis insolentia recentioribus ansam dederunt, quod totius nostrae disquisitionis perpetuitate stabilitur. sed modeste admodum et perquam raro illi hanc libertatem sibi adsumpserunt, *οἱ νεώτεροι* autem traiecerunt saepius *καί* particulam. cf. Callim. h. in Del. 11 sq.

κείνη δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροφος οἷά θ' ἁλίπληξ
αἰθυίαις καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἠέπερ ἵπποις.

particulam poeta hic propter metri rationem secundo loco posuit, ut optime Hauptius demonstravit, quamquam facile versum ita constituere potuit

αἰθυίῃσί τε μᾶλλον ἐπίδρομος ἠέπερ ἵπποις,

'nam cum multos habeat versus, quorum pedes alter et quartus dactyli sunt, ubique cavit, ne his duobus dactylis orationis particulae aequaliter terminarentur' (cf. opusc. I p. 135). maiorem exemplorum numerum e poetis recentioribus congessit Hauptius p. 184 sq. cf. etiam M. Schneiderum, de Dionysii Periegetae arte metrica et grammatica (Lips. 1882) p. 29 sq., Coluth. 299, Nonni Dionys. XVII 157, epigr. ap. Kaib. nr. 618 v. 7, nr. 851 v. 6, 861 v. 3.

Graecorum particulae *καί* apud Romanos respondent coniunctiones 'et, atque, ac', de quibus et ipsis Hauptius disputavit opusc. I p. 115—126. ut in Graecorum sermone *καί* etiam notionem intendendi continet, sic Latinorum 'et' praeter copulandi vim eandem quoque significationem habet ac particula 'etiam'; hoc autem sensu usurpata nonnunquam adver-

biorum more a voce, cui proxime adiungenda erat, secernitur, ut in Ovidii versu her. XII 91, quem cum Heinsio sic scribendum esse puto: *an pars et fraudis in illis?* at haec disiunctio potius ad adverbiorum traiectionem spectat, cum hoc loco nobis de coniunctione agendum sit. atque Hauptius quidem recte exposuit, consuetudinem particulas copulativas 'et' 'atque' a principio enuntiati submovendi antiquioribus Latinorum poetis esse ignotam, apud Lucretium primum tales traiectiones reperiri, increbruisse autem consuetudinem sub finem saeculi septimi. neque minus eiusdem viri doctissimi sententiae, hunc usum ex Alexandrinorum poetarum, quippe qui saepius illam collocationem admiserint, imitatione esse derivandum, firmiter nos addicimus. nolumus autem in re accurate pertractata (cf. Hauptium l. c. p. 120 sq.) exempla coacervare, in poetis, qui Augusta aetate vixerunt, undique illa obvia.

Quam supra tractavimus particulae *καί* copulandi vim exercentis traiectionem, haec eo est insignis, quod coniunctio a principio enuntiati in mediam orationem recessit; sed notandum adhuc est aliud mirum hyperbati genus, quo inter particulam *καί* et membrum illud per *καί* adnexum intercedit vocabulum, quod eo non pertinet. exemplum huius collocationis apponam; in epigrammate incerti auctoris anth. Pal. IX 373, 3 sq. haec scripta leguntur

τὴν Νυμφέων παροδῖτιν ἀηδόνα, κἤματι μέσσῳ
οὔρεσι καὶ σκιεραῖς ξουθὰ λαλεῦντα νάπαις.

construendum est *ἤματι μέσσῳ καὶ οὔρεσι καὶ σκιεραῖς νάπαις ξουθὰ λαλεῦντα;* per duplicem illam particulam *καί* dativi *οὔρεσι* et *σκιεραῖς νάπαις* arte coniunguntur, interpositum autem *ἤματι μέσσῳ* e communi verborum serie omnino seiungendum erat a priore *καί.* sed pro altero *καί* Diltheyo videtur scribendum esse *κἠν*, ita ut praepositio altero dativo *ἀπὸ κοινοῦ* sit addita (vide § 7). cum illa copulae *καί* rara et exquisitiore disiunctione comparari potest Hor. carm. III 10, 13 sqq.

o quamvis neque te munera nec preces
nec tinctus viola pallor amantium,
nec vir Pieria paelice saucius
curvat.

'te' enim hic similiter inter 'neque munera' interpositum est, cum particula ad pronomen omnino non sit referenda[1]).

§ 7. Figura quae dicitur ἀπὸ κοινοῦ.

Grammatici hanc appellationem praetendere soliti, ubicunque in enuntiato aut orationis membro ex altero aliquid est supplendum, etiam eis locis proferunt, quibus e priore parte orationis vocabulum in proximam mente est retrahendum. hanc autem dicendi rationem ab hyperbato esse excludendam perspicuum est, cum rectius ellipsis nominetur. perinde nulla est traiectio, ubi vox quae ad duas simul sententiae partes pertinet, in fine alterius membri est posita; quo referenda sunt plurima exempla, quae Haasius (Vorles. über lat. Sprachw. herausg. v. Eckstein I p. 203) sub titulo figurae ἀπὸ κοινοῦ contulit. praeterea ab hac commentatione aliena sunt complura eorum, de quibus disputavit Mehlhorn (schematis ἀπὸ κοινοῦ ratio et usus quidam in Graeca lingua, Glogau 1833). maxime vero ad praesentem quaestionem conducit disputatio quam instituit Koldewey die Figura ἀπὸ κοινοῦ bei Cat. Tib. Prop. u. Hor. Zeitschr. f. Gymn. 1877 p. 377 sqq. quae vulgo igitur dicitur figura ἀπὸ κοινοῦ, nos eam collocationis speciem appellamus, qua membrum duabus orationis partibus commune ita est positum, ut posteriori praefigatur. video nonnullos interpretes originem huius collocationis perquirentes ellipsin quandam in ea deprehendisse, cum collocatio ita esset facta, quasi bis adesset verbum ἀπὸ κοινοῦ positum, et in fine prioris et initio posterioris membri. sed eorundem vocabulorum repetitionem admodum languidam et frigidam omnino vix ferremus neque de hac ambage circumloquendi quisquam Graecus cogitavit ut nec Latinus. continet autem haec

---

[1]) Vt cum Graeco Latinoque sermone coniungamus aliquando utilem fortasse Germanicae linguae comparationem, adscribemus Waltheri nostri verba e carmine limatissimo p. 39, 15 Lachm. *dâ muget ir vinden schône beide gebrochen bluomon unde gras.* congruenti ratione dixit Hartmann in carmine Iwein. v. 1010.

figura exquisitius dicendi genus poetarum, quo illi obsoleti ac semper eodem modo conformati sermonis fastidium evitare studuerunt, cum id, quod proprie eis quae praecedunt adiungendum erat, cum sequentibus verbis ad quae pariter pertinet conecterent.

Vt a rebus minutissimis initium faciamus, saepe fieri solet, ut praepositio alteri membro inserta vim suam in vocabulum prioris enuntiationis exerceat. exemplis haec res optime comprobatur. itaque cf. Alcmanis frg. 21 Bergk, Pind. Pyth. II 11, V 65, IV 130, Timocreontis frg. 8 Bergk, Aesch. Pers. 492, Suppl. 299, Soph. O. R. 734, Antig. 367, Arist. Vesp. 1013 sq. complura exempla praepositionis ad prius nomen omissae, positae ad alterum dederunt Monk-Wuestemann ad Eurip. Alc. 114, Lobeckius ad Soph. Ai. p. 248 ed. alt., Meinekius ad Soph. O. C. 936. hinc facillime etiam versus Eurip. Phoen. 361 emendatus est a Grotio

οὕτω δὲ τάρβος εἰς φόβον τ᾽ ἀφικόμην.

inter poetas prioris aetatis, quod silentio praeterire non licet, maxime Pindarus hanc collocationem in deliciis habuisse videtur, cf. Bosslerum p. 84. recentiores deinde poetae et seriores epici in semel posita secundoque demum substantivo adiuncta praepositione quandam quaesivisse videntur elegantiam, cum saepissime frequentaverint. cf. Callim. h. II 8, Mosch. II 142, epigr. a Kaibelo edita nr. 618 v. 8, nr. 663 v. 8; Nonni Dionys. XLI 107 *οὐ Πάφον, οὐκ ἐπὶ Βύβλον ἀνέδραμεν;* Erycium anth. Pal. VI 255, 3. ceterum vide O. Schneiderum in Nicandeis p. 83, Naekii opusc. II 72, Otto Schmidtium, de elocutione Oppiani Apamensis (Ienae 1856) p. 49. ex anthologia Graeca complura exempla contulit Finslerus, Kritische Untersuchungen zur Gesch. der griech. Anthologie p. 75. tertio quoque loco praepositio est posita, ut ad duo praecedentia substantiva inde sit supplenda, veluti apud Antipatrum Sidonium anth. Pal. VI 14, 5

τὸν μὲν γὰρ ξυλόχων, τὸν δ᾽ ἠέρος, ὃν δ᾽ ἀπὸ λίμνας,

et in anonymi epigr. anth. Pal. XII 130, 3

οὐ δρυὸς οὔτ᾽ ἐλάτης ἐχαράξαμεν οὐδ᾽ ἐπὶ τοίχου.

interdum etiam secundo e tribus nominibus praepositio adnexa legitur, cf. Antipatrum anth. Pal. VI 111, 1 sq. et Crinagoram

IX 419, 1 sq. notandum tamen est nonnullis locis certo diiudicari non posse, utrum re vera praepositio ἀπὸ κοινοῦ sit posita et ad priorem quoque casum nominis referenda sit necne. ut luculento exemplo utar, valde est incertum, quid sit statuendum in epigrammate Simonidis anth. Pal. XIII 19 v. 7 sq.

καὶ Νεμέᾳ τρὶς ἐνίκησεν, καὶ τέτρακις ἄλλα
Πελλάνᾳ, δύο δ᾽ ἐν Λυκαίῳ,
καὶ Τεγέᾳ καὶ ἐν Αἰγίνᾳ κρατερᾷ τ᾽ Ἐπιδαύρῳ
καὶ Θήβᾳς Μεγάρων τε δάμῳ.

nam cum poetae similes orationis formas iuxta collocatas non sine arte leviter immutare soleant (cf. Meinekium ad Callim. h. in Dian. 172 p. 207 et ad Bucolicos p. 451), sumendum videtur, praepositionem referendam esse ad id solum nomen, cui adiuncta est, atque poetam nudis nominum casibus et praepositione praeditis orationem variare voluisse. similis est causa in Archiae Mytilenaei epigrammate anth. Pal. IX 20, 3

ὁ πρὶν ἐγὼ Νεμέῃ βεβοημένος, ὁ πρὶν ἐν Ἰσθμῷ πῶλος[1]).

Ab Homeri carminibus hanc figuram alienam esse homines docti omnes fere consentiunt; illo enim loco, qui tali structura explicari possit, Od. II 27 ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς ἀλγήσετε πῆμα παθόντες, ἁλός pro genetivo loci habendum esse contendunt, qua notione casus genetivus saepius quidem usurpatur, cf. Kruegerum II 46, 1, 1. tamen quia praepositio proxime adest, ab ea genetivum suspendere praestat. certe posteriores poetae ita ceperunt, quippe inde illam sibi frequentatam traiectionem deduxisse videntur. alius quoque locus Homericus optime hac collocatione explicatur Il. X 572 sq.

αὐτοὶ δ᾽ ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
ἐσβάντες, κνήμας τ᾽ ἠδὲ λόφον ἀμφί τε μήρους.

---

[1]) Putarit fortasse quispiam in tali structura originem esse quaerendam praepositionis vere ἀπὸ κοινοῦ positae, cum ea antiquissimis temporibus adverbii modo casui sit addita. quod quamquam non negaverim, tamen posteriorum temporum poetis haec ratio non obversabatur, sed illi poeticum ornatum hac dispositione appetebant.

quae verba ut recte explicent, interpretes duas constructiones hoc loco permixtas esse dicunt, ita ut ἀπονίζεσθαί τι i. e. 'sich etwas abwaschen', et ἀπονίζειν τι i. e. 'durch Waschen reinigen' quodam modo confundantur; ἀμφὶ δὲ μῆρους autem idem valere ac simplices accusativos κνήμας et λόφον ex Od. II 153 comprobari putant. at multo facilius quam contorta illa et nimis coacta interpretatione totum locum explicaveris, si ἀμφί per figuram ἀπὸ κοινοῦ ad priores accusativos retraxeris. omnino non esse abiudicandam Homeri carminibus hanc verborum collocationem apparet ex locis, quos paulo infra afferam.

Apud poetas Latinos huius figurae usus in praepositionibus multo minus est celebratus, neque antequam Romani Alexandrinorum artem imitari coeperunt, omnino reperitur. cf. Cat. 55, 3 sq.

te campo quaesivimus minore,
te in circo, te in omnibus libellis,

quamquam non certum est id exemplum, cum hic quoque, ut in Simonidis epigrammate supra commemorato, simplex ablativus et cum praepositione coniunctus sese excipere possint. eadem ratio intercedit Ov. art. I 7, 23 sq.

aequoris unda
debet et a radiis sideris esse niger.

sed recte praepositionem ἀπὸ κοινοῦ positam intellegas Cat. 33, 5

cur non exilium malasque in oras (itis)

Verg. Aen. VI 692

quas ego te terras et quanta per aequora vectum
accipio?

Hor. epist. II 1, 24 sq.

foedera regum
vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,

et carm. III 25, 2

quae nemora aut quos agor in specus?

ubi vide Bentleyum.

Articulus quoque elegantius in priore membro omittitur quam in posteriore, ut Theocr. XV 58

ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δεδοίκω.

vide Ameisium de articuli usu ap. poet. bucol. p. 39. pari modo in Hom. Od. XX 310 et XVIII 228 sq.

αὐτὰρ ἐγὼ θυμῷ νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα,
ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια,

articulum etiam ad adiectivum *ἐσθλά* pertinere puto. alia deinde leviora pondere vocabula *ἀπὸ κοινοῦ* sunt posita Hom. Od. IV 37

ἔνθα μὲν οὔτε ἄναξ ἐπιδευὴς οὔτε τι ποιμήν,

quocum loco conferas Soph. Trach. 3

θάνῃ τις οὔτ᾽ εἰ χρηστὸς οὔτ᾽ εἴ τῳ κακός,

et in eodem Homero Il. I 132

κλέπτε νόῳ, ἐπεὶ οὐ παρελεύσεαι οὐδέ με πείσει.

praeterea cf. Theocr. XV 79 *λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα* et ibi Meinekium; Hor. sat. I 4, 17

inopis me quodque pusilli
finxerunt animi,

Prop. V 1, 147 sq., Callim. epigr. 31, 3 *ὀστέα σοι καὶ μοῦνον ἔτι τρίχες;* Hor. sat. I 6, 88

laus illi debetur et a me gratia maior.

Adiectivum aut substantivum eodem modo saepissime posita leguntur, atque cum metri necessitati subvenisse, tum poeticam elegantiam ita quaesivisse poetae videntur, quod ordinem vulgarem et usu tritum spreverunt et seriem artificiosam praetulerunt; nervosam quoque et roboris plenam reddiderunt orationem verbis gravioribus eminentiore loco collocatis[1]). sic

---

[1]) Ut huius figurae effectum et quam magnam vim exerceat ad orationis vigorem et gravitatem, recte intellegamus, cum tale artificium in lingua aliena percipere difficile sit, exemplum ex Goethii nostri Faust afferam, quod iam Nauckius ad Hor. carm. II 13, 28 citavit,

Ja wäre nur der Zaubermantel mein,
Und trüg' er mich in fremde Länder,
Mir sollt' er um die köstlichsten Gewänder,
Nicht feil um einen Königsmantel sein.

hac verborum constructione orationem et vividiorem et elatiorem auditorumque animos attentos fieri, simul autem singula membra artius coniungi, quis est qui non sentiat?

attributum alteri membro praemissum est Soph. O. C. 1399

οἴμοι κελεύθου τῆς τ᾽ ἐμῆς δυσπραξίας.

cf. Cat. 56, 2, Ov. met. I 559; Theocr. XXII 25

Κάστορος ἢ πρώτου Πολυδεύκεος ἄρξομ᾽ ἀείδειν,

et XXII 68. vide Meinekium ad Theocr. XV 79, Nonni Dionys. V 215

πρῶτος Ἀρισταῖος, Νόμιος καὶ ἐπώνυμος Ἀγρεύς.

similiter comparata sunt duo exempla Coluth. v. 53

καὶ πυρὸς ἀσβέστοιο καὶ ἰθυντῆρι σιδήρου

et Tullius Laurea anth. Pal. VII 294, 2

τὸν ἀγκίστροις καὶ μογέοντα λίνοις,

quibus Lobeckius, pathologiae sermonis Graeci proleg. p. 185 tertium ex coniectura addidit, Leschae ex Iliade parva frg. 6 p. 41 sq. Kinkel. ita constituens

ἄμπελον, ἣν Κρονίδης ἔπορεν οἱ παιδὸς ἄποινα
χρυσείην φύλλοισιν, ἰανθέσι καὶ κομόωσαν
βότρυσιν

vel ἅμ᾽ ἄνθεσι καὶ κ. β., 'similiter ut in Alcinoi hortis uvae simul maturescunt, simul ὄμφακές εἰσιν ἄνθος ἀφιεῖσαι'. nomen substantivum, quod ad totam sententiam maiore utitur pondere quam adiectivum, multo fortius in bipartita oratione alterum membrum incipit, cum animus in priore parte adhuc exspectatione pendeat, quae posteriore demum completur. exempla sunt Soph. El. 929 et Theocr. I 95

ἦνθέ γε μὰν ἀδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελαοῖσα.

iam Pindarus substantivum, quod duobus membris commune est, in principio secundi demum collocavit, quo magis eluceret et auditorum animos adverteret, Pyth. IV 36 sq.

οὐδ᾽ ἀπίθησέ νιν, ἀλλ᾽ ἥρως ἐπ᾽ ἀκταῖσιν θορὼν
χειρί οἱ χεῖρ᾽ ἀντερείσαις δέξατο βώλακα δαιμονίαν.

e litteris Latinis cf. Cat. 64, 336, Tib. I 4, 2 sq.

nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
is Venerem e rapido sentiet esse mari.

et ipse casus vocativus eodem modo alteri membro est adiunctus Prop. IV 11, 71

at tu sive petes portus seu, navita, linques.

possum alia multa addere, cum pervulgatus sit apud poetas huius aevi ille figurae ἀπὸ κοινοῦ usus, sed metuo, ne nimis longa enumeratione molestus fiam. inspice, si placet, nubem exemplorum, quam accumulavit H. Loewius, de nonnullis figuris quibus poet. Lat. utuntur p. 7, 21 sq. in transcursu breviter commemorare liceat nonnullos locos inter ceteros eo eminere, quod nomen commune alio casu ad priora membra sit supplendum; qua de re cf. Hor. epist. I 1, 48

discere et audire et meliori credere non vis,

et Ov. met. XII 154

sacra tulere suam, pars est data cetera mensis.

ad figuram ἀπὸ κοινοῦ pertinent etiam duo exempla Propertii, quae peculiari audacia sunt notabilia, quod illud κοινόν non solum longiore intervallo a priore parte separatum, sed etiam in sententiam, quae per se constat, transpositum est, III 24^b^, 35 sq.

tu mea compones et dices 'ossa, Properti,
haec tua sunt',

et III 26^b^, 25 sq.

nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos,
carmina tam sancte nulla puella colit.

haud dissimili, quamquam non prorsus pari libertate distinctus est Ovidii locus am. III 3, 9

argutos habuit, radiant ut sidus ocelli;

proxime autem ad similitudinem accedit alterum exemplum met. XV 336 sq.

tempusque fuit, quo navit in undis,
nunc sedet Ortygie,

ubi nomen 'Ortygie', quod iam in enuntiato secundario ponendum erat, in altera demum oratione primaria collocatur. notatu fortasse non est indignum, et in ipsa oratione pedestri interdum verba per figuram ἀπὸ κοινοῦ collocata esse, ut apud Ciceronem, de leg. agr. II 30 *ager neque erit neque vester esse dicetur;* cf. Liv. 45, 3 *Rhodios neque utilitatium Graeciae neque cura impensarum populi Romani misisse.*

Maxima deinde vis et gravitas, quae figurae ἀπὸ κοινοῦ propria est, illis locis apparet, quibus praedicatum vel verbum finitum alteri membro praefigitur. animus enim audientis legentisve sic acrius feritur atque in priore parte ad rem gravius advertitur et quasi urgetur, quod supplementum mancae adhuc orationis desiderat, et hoc ipso momento vigor et vehementia orationis continetur. Pindarus quoad vidi primus sic praedicatum collocavit Ol. VI 41 sq.

τᾷ μὲν ὁ Χρυσοκόμας
πραΰμητίν τ' Ἐλείθυιαν παρέστασέν τε Μοίρας.

deinde poetae Alexandrini et qui eorum consuetudinem secuntur, hanc dicendi speciem quam maxime frequentarunt. cf. Callim. h. III 24

ὅτι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα,

Apoll. Rhod. IV 4 sq.

ἢ ἔμεν ἄτης πῆμα δυσιμέρου ἦ τόγ' ἐνίσπω
φύζαν ἀεικελίην.

praeterea Nonni Dionys. XV 316 sq., XXX 33, Antipatrum anth. Pal. VI 118, 5 sq., Antipatrum Sidonium IX 724, 2, Archiam VI 16, 6 sq. apud Romanos iam Ennius hanc collocationem videtur admisisse; nam in eius versibus in tragicorum fragmentis a Ribbeckio iterum editis p. 42

astrologorum signa in caelo quaesit observat, Iovis
cum capra aut nepa aut exoritur momen aliquod beluae,

verbum 'exoritur', quod etiam ad priora subiecta pertinet, praepositum est tertio. politissimi autem aevi poetae Latini Alexandrinorum poetarum imitatione paulatim assuefacti hanc figuram libenter arripuerunt. quam cum impense amaverint, non opus esse videtur, ut omnia exempla integra huc coram adducantur; expromam haec Cat. 30, 3

iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?

et Tib. I 3, 56

Messalam terra dum sequiturque mari.

praeterea cf. Prop. II 9, 31, III 12, 24, Hor. sat. I 8, 34, carm. I 2, 49, II 7, 25, I 22, 6, Ov. amor. I 6, 14; vide Dissenium ad Tib. I 1, 51. Heindorfium, qui ad Hor. sat.

I 6, 43 hoc schema nonnullis locis abiudicavit et hyperbaton coniunctionis 'que' intellexit, refellere supersedebo, ne dicar deserta castra expugnare. eandem orationis conformationem in Horatii loco vexatissimo epod. 5, 87 sq. contineri persuasum habeo, quamquam quomodo emendandus sit, nondum assequi potuerunt homines nobilissimi certa et ab omni parte tuta coniectura; incerta autem hic tacere satius est. tertio deinde membro verbum ἀπὸ κοινοῦ appositum est Prop. III 24, 11 sq. neque prosaici scriptores hanc verbi collocationem spreverunt, cf. Sall. Catil. 30, 7; sed poetarum hac in re libertas multo maior nec quam scriptores omnino assequi possint. cf. Ov. trist. IV 10, 131 sq.

sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam
iure, tibi grates, candide, lector, ago.

illud 'iure' eo, quod magis differtur et in principio proximi versus positum est, contrario suo 'favore' vehementer opponitur et graviorem consequitur accentum. notabilem huius schematis speciem Hauptius in opusc. II p. 60 sqq. primus constituit Prop. III 32, 33 sqq.

ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis,
nec minus in caelo semper honesta fuit,
quamvis Ida palam pastorem dicat amasse
atque inter pecudes accubuisse deam.

enuntiatum enim, quod versu 34 continetur, quamvis proprie eis, quae praecedunt, adiungendum sit, sequentibus verbis praefixum est. hoc autem orationis schema cum non recte intellegerent librarii, variis modis mutare studuerunt et in ipsum codicem Neapolitanum, qui ceteris minus contaminatus est 'constanti illo Italorum emendandi studio', interpolatio surrepsit 'ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis'. etiamsi nullum suppeteret comparis orationis exemplum, ab omni mutatione lectionis 'quamvis' abstinendum esse videretur, ne poetae, qui in hac ratione insolentior est, suam elegantiam eriperemus. atqui suppetit. nam simili artificio orationem ornavit Ovidius met. VII 79 sqq.

utque solet ventis alimenta assumere, quaeque
parva sub inducta latuit scintilla favilla
crescere et in veteres agitata resurgere vires,
sic iam lentus amor etc.,

ubi enuntiatum relativum etiam ad verba 'solet ventis alimenta assumere' pertinet.

Sed ut tandem manum de tabula: satis et abunde hunc poetarum usum illustrasse mihi videor, quamquam in exemplorum coacervatione aliquanto brevior contractiorque fui, ubi iam alii utilissimam operam navarunt. quodsi quis nonnulla in hac parte desiderat, quae homines docti ad figuram *ἀπὸ κοινοῦ* vulgo referunt, a neglegentiae crimine certe me immunem habebit, cum illa, utpote non prorsus similia, sed novo quodam artificio praenitentia, aliis huius commentationis locis attulerim. ex eis autem, quae de schemate *ἀπὸ κοινοῦ* disputavimus, evincitur poetas Alexandrinos mirifice hanc figuram in deliciis habuisse et ex eorum imitatione hunc usum in poesi Latina percrebruisse. aliquatenus vero restringendum est Hauptii iudicium, qui (cf. Belgeri librum M. Haupt p. 241) formam illam dicendi simpliciter Alexandrinam appellavit; nam et ante Alexandrinorum aetatem in lyricorum et tragicorum et Homeri ipsius carminibus huius collocationis nonnulla exempla extare et apud Latinos iam ab Ennio eam usurpatam esse iterum videtur esse notandum.

§ 8. De traiectione substantivorum et attributorum[1]).

Substantivum eiusque attributum etiam in pedestri oratione variis modis distracta et discerpta inveniri, cum nobis

---

[1]) Haasius, Vorlesungen über lat. Sprachw. II 46 sq. traiectionem adiectivi eam dicendi rationem intellegit, qua adiectivum uni ex duobus, quorum alterum ex altero pendet, substantivis tribuitur, cum eius notio alteri sit propria, ut exempli gratia 'fulva leonis ira', sed hunc tropum, quem ceteri grammatici melius hypallagen adiectivi appellant et cuius usus cum multi alii collegerunt exempla, tum optime digessit Lobeckius ad Aiac. ed. alt. p. 73 sqq., ab hac disputatione esse alienum plane patet.

has orationis partes, ut cogitatione arte cohaerentes, sic ordine quoque coniungere opus sit, monere vix opus est neque hoc quidquam habet, quod sollertem lectorem impediat. antiqui enim cum in oratione concinnanda maxime dignitatem et venustatem respicere atque omnia ad vocalitatem et rhythmum referre et graviora eminentioribus locis collocare sint soliti, saepissime longiore aut breviore intervallo substantiva et adiectiva diduxerunt. de hac verborum collocatione in universum disputavit Lilienthal, de genere quodam traiectionis apud scriptores Latinos (Roessel 1859). nos vero non nisi potiora eaque ipsa quam poterimus paucissimis perstringamus. cum autem multum intersit, quomodo substantiva et adiectiva per versum distribuantur, primum de nonnullis versuum locis agamus, quibus prae ceteris haec vocabula collocari soleant.

Valde poetae amant substantivum et adiectivum ita per versum disponere, ut unum ante caesuram, alterum in fine locum habeat. cf. Il. VI 368

ἢ ἤδη μ᾽ ὑπὸ χερσὶ θεοὶ δαμόωσιν Ἀχαιῶν.

tali verborum collocatione plerumque id, quod sub finem positum est, maiorem consequitur accentum, saepe autem utrumque vocabulum seiunctione emphasin quandam exercet. neque a trimetro iambico tales substantivi et adiectivi distributiones alienae sunt; exemplo utar, quo consilium poetae clare appareat, Soph. El. 1033

ἐλθοῦσα μητρὶ ταῦτα πάντ᾽ ἔξειπε σῇ.

omnem, cum qua Electra haec verba pronuntiat, acerbitatem in pronomine σῇ collegit et ideo non sine artificio poeta illud ultimo versus loco a substantivo remotum constituit. non solum igitur metri commoditas hac in re est respicienda, hic illic etiam quaesita elegantia conspicitur. cf. Theocr. I 64

ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς.

ibi alterum ἄρχετε interpositum et sic ἀοιδᾶς βουκολικᾶς medio et extremo versu disposita sunt, quod poetae bucolici amant primum versus vocabulum post caesuram bucolicam repetere atque ita duas hexametri partes per epanalepsin cantilenis popularibus maxime familiarem inter se coniungere; cf. Mosch.

III 8, Fritzschium ad illum Theocriti locum in edit. minore, Christii Metrik edit. alt. p. 178. nota est consuetudo poetarum elegiacorum, qua pentametrum ita construere solent, ut duae versus partes adiectivo et substantivo terminentur. qua in dispositione saepe substantivum et adiectivum in pares litteras exeuntia consonantiam quandam hemistichiorum efficiunt; cf. Meinekium ad Callim. p. 265. ille autem syllabarum similis exitus et auribus valde blanditur et concentum hemistichiorum magis conspicuum reddit. praecipue quidem pentametro, cuius natura aequalitati partium mirifice favet, hoc proprium est, sed etiam hexametri medii et extremi versus exeunt in syllabas similiter consonantes. cf. Philet. frg. 2 (Bergk. anth. lyr. ed. alt. p. 131)

καὶ γάρ τις μελέοιο κορεσσάμενος κλαυθμοῖο
κήδεα δειλαίων εἷλεν ἀπὸ πραπίδων.

quod artificium iam Homerus, quamquam raro ille quidem, sibi adscivit, ut Od. I 397

αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ᾽ ἡμετέροιο,

et Il. VI 343. caesura trochaica in tertio pede versum in partes duas fere pares dividit et ita poetae facultatem relinquit eas per consonantiam arte vinciendi. pentameter autem, cum eius caesura prorsus sit stabilita et duo illa hemistichia parem ambitum habeant, quorum extremae syllabae cum eodem ictu pronuntiantur, propter certam hanc regulam et membrorum congruentiam aequalitatemque quam maxime consonantiam appetebat, cf. Doerr, Der Reim bei den Griechen (Lips. 1857) p. 46. tamen in hac consuetudine versum pentametrum per homoioteleuta hemistichiorum condendi poetae non sibi sunt pares; rarissime enim verba huiusmodi in exitu colorum collocantur apud priscos Graecorum elegiacos; cf. A. Langen, de disticho Graecorum elegiaco p. 16, 33 sq., Hultgren, observationes metricae in poetas elegiac. Graec. et Latin. partis II (Lips. 1872) p. 14 sqq.; Alexandrini deinde poetae hanc legem multo magis frequentarunt; in primis autem Romanorum poetis elegiacis ab aetate Augusta ea erat probata, ita ut Latini, quamvis Graeci et praesertim Alexandrini prae-

iverint, tamen frequentius et consulto magis hac forma uterentur; cf. Lachmannum ad Prop. I 5, 20 et Doerr l. d. p. 47. idem fere accidit in versibus Asclepiadeis, quorum partes ab Horatio ita aequaliter compositae sunt, ut singulorum versiculorum alterum hemistichium adiectivo, alterum substantivo clauderet; cf. Meinekium ad Hor. carm. IV 1, 16, praef. p. XIX.

Etiam initium et finis versus in substantivis et adiectivis distribuendis favorem sibi conciliarunt. cf. Hom. Il. X 46, Od. XXII 396

δμωάων σκοπός ἐσσι κατὰ μέγαρ᾽ ἡμετεράων.

trimetri poetarum tragicorum exemplis abundant. multorum instar sit unum Euripidis Med. 1309

παῖδες τεθνᾶσι χειρὶ μητρῴᾳ σέθεν,

ubi verba, quibus maxima enuntiati vis continetur (*μητρῴᾳ σέθεν*) finem versus faciunt. praeterea cf. Pind. Isthm. V 22, Ol. III 10

θεόμοροι νίσοντ᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώπους ἀοιδαί,

Theocr. XXV 277 et ibi Fritzschium in edit. mai.; Verg. eclog. II 1, Ov. met. VIII 259. simile studium substantivum et adiectivum magis efferendi seiunctione in pedestri oratione haec duo vocubula in principio et fine enuntiati constituit, ut Demosth. Aristocr. 139 *κοινοὶ περιέρχονται κατὰ πᾶσαν χώραν εἰ δεῖ ἀληθὲς εἰπεῖν ἐχθροί*, et Cic. de nat. deor. II 48, 124 *tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam.*

Deinde substantivum eiusque attributum per duos quoque versus continuos dissipantur. quod, ne in minutis rebus iusto longius versemur, haec exempla pro multitudine pauca illustrent Hom. Il. XIII 541 sq., XVI 104; Soph. El. 1349 sq., frg. 117 Nauck.

οὔτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ᾽ ἂν οὐδὲ σώφρονος
κρεῖσσον,

quo loco extremo non difficile est rationem reddere, cur eo potissimum quo usus est ordine verba disposuerit poeta, nempe

ut adiectiva *κακῆς κακόν* assonantiam quandam efficerent et eandem sedem occuparent atque contraria *σώφρονος κρεῖσσον*. apud eundem poetam O. C. 125 sqq.

ὃν ἐγὼ λεύσσων περὶ πᾶν οὔπω
δύναμαι τέμενος
γνῶναι ποῦ μοί ποτε ναίει,

insolentiore traiectione substantivi *τέμενος*, quod ad participium *λεύσσων* pertinet, concitati chori animus optime pingitur. iam audacius est Lycophronis illud 1224 sq.

πάντας δ᾽ ἀνάγνοις χερσὶν ἐν ναῷ κτενεῖ
λώβαισιν αἰκισθέντας Ὀγκαίου βόθρου,

ubi genetivus attributivus *Ὀγκαίου βόθρου* ad substantivum *ναῷ* spectat. neque prisca Latinorum poesis hanc verborum traiectionem refugit; cf. Plaut. Mil. gl. II 1, 72 sq.

et mox ne erretis, haec duarum hodie vicem
et hinc et illinc mulier feret imaginem.

si autem substantivum et adiectivum eisdem versuum locis collocantur, nonnunquam similiter exeuntibus litteris consonantia existit, ut Hom. Od. XVIII 8 sq.

ὅσσοι ἐνὶ μεγάροισι γερούσιον αἴθοπα οἶνον
αἰεὶ πίνετ᾽ ἐμοῖσιν, ἀκουάζεσθε δ᾽ ἀοιδοῦ,

Theocr. XXV 134 sq., Nonn. Dion. XVI 378 sq.

ἀμφὶ δὲ Δίνδυμον ἄκρον ὁμήλυδες ἔγγυθι λόχμης
Ἀστακίδος μέμψαντο Κυβήλιδες ἤθεα νύμφης.

Sed hic paulum consistam, ne quod causam meam attingat praetermisisse dicar. quod enim pertinet ad hanc verborum per duos versus dispescendorum rationem, attendendae adhuc sunt certae collocationis formae, quas poetae maxime frequentarunt. verum id nunc non ago, ut fuse ac prolixe rem exponam, satis habebo memorabiliora genera idoneis exemplis declarasse. sic primis duorum versuum locis substantivum et adiectivum ponuntur Hom. Il. XV I448 sq.

πολλοὶ γὰρ περὶ ἄστυ μέγα Πριάμοιο μάχονται
υἱέες ἀθανάτων.

cf. Theocr. XXIV 80 sq., Nonn. Dion. XXII 295 sq., Paulum Silent. anth. Pal. XI 60, 3 sq. simili modo extremis versibus

haec vocabula distribuuntur Pind. Ol. II 59 sq., Isthm. II 39 sq.

οὐδέ ποτε ξενίαν
οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέστειλ᾽ ἱστίον ἀμφὶ τράπεζαν,

Neophronis frg. 2 v. 13 sqq. p. 566 Nauck.

φεῦ
τάλαινα τόλμης, ἣ πολὺν πόνον βραχεῖ
διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ,

anth. Pal. IX 535, 5 sq., Ov. met. XIII 3 sq.

utque erat impatiens irae, Sigeia torvo
litora respexit classemque in litore vultu.

cf. etiam ibid. II 105 sq. deinde unum caesurae prioris versus praefigere, alterum in principio proximi ponere, maxime erat usitatum, cf. Theocr. XXII 189 sq., neque rarius id schema collocationis reperitur, quo unum membrum ante caesuram, alterum in fine proxime subsequentis versus locum obtinet; cf. Theocr. VII 80 sq., Arat. 1027 sq.; Verg. ecl. II 12 sq., Ov. art. III 709 sq. postremum duos versus continuos adiectivo et substantivo includere poetae frequenter sibi permiserunt; cf. Pind. Ol. XI 91 sq.

τὸ γὰρ
ἐμφυὲς οὔτ᾽ αἴθων ἀλώπηξ
οὔτ᾽ ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαντο ἦθος,

et Isthm. II 15; Eurip. frg. 1067 Nauck.

Ζεὺς γὰρ κακὸν μὲν Τρωσί, πῆμα δ᾽ Ἑλλάδι
θέλων γενέσθαι τοῦτ᾽ ἐβούλευσεν πατήρ,

Theocr. XVI 34 sq., Mosch. II 22 sq.; Antiphili epigr. anth. Pal. X 17

Ἀρχέλεω, λεμνῖτα, σὺ μέν, μάκαρ, ἠπίῳ αὔρῃ
πέμπε κατὰ σταθερῆς οἰχομένην ὀθόνην,

ubi genetivum eius, qui prosperam sibi navigationem rogat, ab ὀθόνην suspensum consulto primo carminis loco positum esse facile est intellectu. e poesi Latina cf. Prop. IV 17, 9 sq.

hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
funera sanabunt, aut tua vina malum,

Ov. ex P. II 5, 5, Hor. carm. I 12 19

proximos illi tamen occupavit
Pallas honores[1]).

at poetae ultra illos quos modo diximus terminos interdum procedere sunt ausi, ita ut substantivum et adiectivum per complures versus dissiparent, quam auribus nostris insuetam audaciam pauca exempla illustrent. Aesch. Ag. 1402 sqq.

φεῦ τίς ἂν ἐν τάχει,
μὴ περιώδυνος
μηδὲ δεμνιοτήρης
μόλοι τὸν ἀεὶ φέρουσ' ἐφ' ἡμῖν
Μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον,

quod poeta substantivum *Μοῖρα* tam longe seposuit, additamentis quidem excusatur, tamen magna cum vi usque ad eum, quo positum est, locum reservatum esse plane patet. cf. Arist. Ran. 707—714, Euphor. frg. 19 Meineke, Nonni Dionys. XLII 26 sqq.

ἀβροκόμῳ δὲ
ἀλλοφυὴς ἄγνωστος ὁμίλεεν ἄζυγι κούρῃ
εἴκελος ἡβητῆρι.

praeterea inspice Verg. Aen. XI 809 sqq. et Hor. carm. I 22, 9 sqq. sed missis his et similibus quibusdam aliis lectores diutius defatigare nolo et nonnulla postea demonstrabuntur loco opportuniore. unum tamen exemplum, satis dignum illud quod commemoretur, hic praeterire non possum. in Lycophronis enim Alexandra inde a v. 52 haec leguntur

λεύσσω σε, τλῆμον, δεύτερον πυρουμένην
ταῖς τ' Αἰακείοις χερσὶ τοῖς τε Ταντάλου
Λέτριναν οἰκουροῦσι λειψάνοις πυρὸς
παιδὸς καταβρωθέντος αἰθάλῳ δέμας.

cum Pelopis illa *λείψανα πυρός* fuisse et scholiastae et Pausaniae testimonio constet, genetivum *Ταντάλου* cum *παιδός*

---

[1]) De variis attributorum et substantivorum collocationibus apud Horatium disputavit Eggers, de ordine et figuris verborum quibus Horatius in carminibus usus est (Lovanii 1877) p. 42 sq.

coniungendum esse monuit Scheerius l. c. p. 4 sq., insigni igitur poeta cum audacia genetivum a nomine longius diduxit, quod non solum *Ταντάλου* inter *τοῖς* et *Λέτριναν* interposuit, sed etiam inserto tertio genetivo *πυρός* substantivum *παιδός* in v. 55 reiecit, ita ut lectorum commodo parum prospexisse videatur.

In eis, quae hucusque summatim exposuimus, ad id solum animum intendimus, quanto intervallo substantivum et adiectivum rei metricae ratione habita seiungantur; sed ad libertatem antiquarum linguarum in disponendis verbis recte et accurate intellegendam id maxime interest, quomodo haec vocabula, quoad rem grammaticam, distracta et dissipata reperiantur. itaque si enuntiatum e membro bipartito constat, non raro evenit, ut substantivum eiusque attributum inter duo illa orationis membra distribuantur; atque prout vocabula leviore aut graviore pondere sunt praedita, aut minus difficilis aut insolentior traiectio est agnoscenda. ut more nostro ex Homeri carminibus ordiamur, ambigua res est, num ille sic vocabula disposuerit. verba enim quae huc cadere videntur Il. II 482 sq.

τοῖον ἄρ' Ἀτρείδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ
ἐκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν,

interpretes sine ulla traiectione ita explicant, ut *πολλοί* i. e. 'multitudo pugnantium' ab *ἡρώεσσιν* i. e. 'principibus' distinguantur (cf. etiam Naegelsb. adnot. ad Il. edit. alt. p. 208 sq.). nimis urgebo adiectivum *ἔξοχος* apud Homerum nonnisi Od. XXI 266 cum dativo esse coniunctum, haud exigua interpretationi accedit dubitatio ex sententiae ratione. nam quod inter multitudinem et duces discernitur, absonum est et ineptum hoc loco; quare veri similius redditur *πολλοῖσι* cum *ἡρώεσσιν* esse iungendum. atque hoc quidem unum exemplum Homericum suppetit, posteriores hac collocatione saepius sunt usi, veluti Soph. Ai. 186 sq.

ἀλλ' ἀπερύκοι
καὶ Ζεὺς κακὰν καὶ Φοῖβος Ἀργείων φάτιν.

hoc modo duo nomina *Ζεύς* et *Φοῖβος* quod seiunguntur et

a numeris insignem in senario sedem accipiunt, magis explendescunt, ac simul adiectivum et substantivum hoc modo in fine colorum collocantur. cf. Aesch. Coeph. 2

σωτὴρ γενοῦ μοι σύμμαχός τ' αἰτουμένῳ,

Eurip. Med. 390, Moschionis frg. 7, anth. Pal. VII 237, 1. similiter alterum verbum interpositum est Eurip. Hipp. 1260

οὐδ' ἥδομαι τοῖσδ' οὐδ' ἐπάχθομαι κακοῖς,

Or. 571

ἐζημίωσε πατέρα κἀπέκτειν' ἐμόν,

et Soph. Trach. 470 sq. valde artificiosam et contortam collocationem cognoscas in Callimachi epigrammate 40 (anth. Pal. XIII 25)

Δήμητρι τῇ Πυλαίῃ
τῇ τοῦτον οὑκ Πελασγῶν
Ἀκρίσιος τὸν νηὸν εδείματο, ταῦθ' ὁ Ναυκρατίτης
καὶ τῇ κάτω θυγατρὶ
τὰ δῶρα Τιμόδημος
εἵσατο τῶν κερδέων δεκατεύματα· καὶ γὰρ εὔξαθ' οὕτως.

praeter exempla, quae contulit Schneiderus in Callim. I p. 206, cf. Posidippi epigramma in Iacobsii append. anth. Pal. 64, 5 sq.

Σαπφῴ, σαὶ δὲ μένουσι φίλης ἔτι καὶ μενέουσιν
ᾠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.

neque scriptorum sermonem ab hac traiectione abhorrere comprobat Herod. III 135 *ἐξηγησάμενος πᾶσαν καὶ ἐπιδέξας τὴν Ἑλλάδα.* maior autem audacia et valde notabilis existit, cum alterum membrum interpositum aliam constructionem sibi desiderat atque vocabulum transpositum huic structurae accomodatur. quo pertinet Eurip. Hec. 1047

ἦ γὰρ καθεῖλες Θρῇκα καὶ κρατεῖς ξένου;

nam verba hunc in modum coniungenda esse persuasum habeo *ἦ γὰρ καθεῖλες Θρῇκα ξένον καὶ κρατεῖς* scil. *αὐτοῦ*[1]).

---

[1]) Pflugkius quidem hanc traiectionis speciem non agnoscit, sed *Θρῇκα* pro substantivo habet et *ξένου* pronominis *αὐτοῦ* vices sustinere contendit, cum simplex pronomen in fine sententiae satis languidum esset. quod si comprobes, alteri substantivo articulum additum

Apud priscos Latinorum poetas usus ille, per bipartita orationis membra attributum et substantivum disponendi, non reperitur; at cultioris aetatis poetae huius consuetudinis multa exempla suppeditant. atque Ovidius hac traiectione elegantissime verba per versum distribuit art. I 3

arte citae veloque rates remoque moventur,

ubi eo quod attributum et substantivum disiuncta atque ablativis illis immixta sunt, hi ipsi graviore cum sono pronuntiantur in ipsis versus tripartiti colorum initiis collocati, atque totum enuntiatum sollertissime in semet ipsum implicatum est, rhythmo suaviter decurrente. praeterea cf. Hor. sat. I 4, 71

nulla taberna meos habeat neque pila libellos,

Ov. am. I 10, 19

nec Venus apta feris Veneris nec filius armis,

met. IV 423

vertere Maeonios pelagoque immergere nautas,

et Prop. III 28, 7. in illis quas enumeravimus transpositionibus multum valuisse studium hemistichia versuum substantivo et adiectivo concludendi facile intelleges. quibus addam similia Prop. III 31, 15 sq.

deinde inter matrem deus ipse interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat,

Ov. trist. II, 569 sq.

non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
auguror, at multos indoluisse malis.

---

esse exspectes, eodem modo quo τοῦ ἀνδρός desiderare deberes, si hoc scriptum fuisset. accedit quod v. 774 et 890 dictum est Θρῄξ ξένος, ita ut Θρῄξ pro adiectivo habendum sit. itaque coniectura Hermanni, qui olim coniecit ξένον, ut καὶ κρατεῖς sit positum διὰ μέσου, praeferenda esset, nisi traiectionem substantivi ξένου sicut loco supra commemorato (Eurip. Or. 571) simulque attractionem verbi alterius intellegere liceret. quam explicationem equidem probare malim, quamquam alius locus, ubi cum tali traiectione attractio quaedam coniuncta sit, praesto non est. nam si poeta aliquando licentius evagatus est, eius audaciam non compescas, modo gradus ac flexus persequi possis, per quos ad illam insolentiam delatus esse videtur.

cf. met. XII 194 sq. etiam in initio duorum enuntiatorum attributum et subiectum collocantur. Prop. V 7, 55 sq.

nam gemina est sedes turpem sortita per omnem
turbaque diversa remigat omnis aqua,

quo loco substantivum 'turba' ἀπὸ κοινοῦ alteri membro esse additum non minus recte dixeris.

Aliam traiectionem, quam et ipsam ad schema ἀπὸ κοινοῦ homines docti vulgo referunt, hic potissimum commemorabo, Callim. h. in Del. 323 sq.

ἅ Δηλιὰς εὕρετο νύμφη
παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν.

Ἀπόλλωνι enim inter alterum membrum καὶ γελαστύν ita interpositum est, ut primo obtutu καί et Ἀπόλλωνι coniungendum esse putes, praesertim cum paulo ante praecedat κουρίζοντι, quod iam per se ipsum intellegi potest. hac autem collocatione obscuritas orationis existit, cum prius membrum nihil mancae et imperfectae constructionis habere videatur, ita ut, dum alterum membrum legas, non statim percipias vocem Ἀπόλλωνι ad participium κουρίζοντι pertinere. cum hoc loco Callimacheo, quo lusum, at non sine artis consilio deprehendas, cf. Diodori epigramma anth. Pal. IX 776, 3 sq.

εἰμὶ δ᾽ ἀνάσσης
εἰκὼν καὶ μεγάλης λείπομαι οὐδ᾽ ὀλίγον.

atque e Latinis litteris ad similitudinem accedit Prop. IV 14, 17

qualis et Eurotae Pollux et Castor harenis,

ubi 'Eurotae', quod attributum ad harenis pertinet, sic inter 'et Pollux' interpositum est, quasi 'et Eurotae' coniungendum esset, cum haec sit constructio 'qualis et Pollux et Castor Eurotae harenis'.

Studium autem illud, quod supra cognovimus, hemistichia versuum attributo et substantivo terminandi, liberiores collocationes peperit, quae apud Ovidium non ita raro occurrunt, ut inter substantivum eiusque attributum enuntiati secundarii membrum primarium sit interpositum. cf. Ov. am. I 10, 40

quod faciat magnas, turpe tribunal, opes,

et am. I 7, 40

si sinerent laesae, candida tota, genae.

eadem causa haec vocabula per enuntiatum primarium et secundarium digessit Ov. her. XII 115

quod facere ausa mea est, non audet scribere dextra.

similem traiectionem per duos versus continuos pertinentem idem poeta sibi permisit trist. V 11, 47 sq.

utque dedit iustas tauri fabricator aeni,
sic ego do poenas artibus ipse meis,

et ex P. I 2, 89 sq.

ira viri mitis non me misisset in istam,
si satis haec illi nota fuisset humus.

iam clarescit vocabulorum mixtura, audacissima sane et difficilis Eurip. Hec. 1224

καὶ μὴν τρέφων μὲν ὥς σε παῖδ' ἐχρῆν τρέφειν
σώσας τε τὸν ἐμόν, εἶχες ἂν καλὸν κλέος,

quae verba ita coniungenda sunt καὶ μὴν τρέφων μὲν παῖδα τὸν ἐμὸν ὥς σε ἐχρῆν τρέφειν (scil. αὐτόν) σώσας τε. ceterum de substantivorum et attributorum per enuntiatum primarium secundariumque traiectione vide infra § 12. illud autem hoc loco non est omittendum, iam Homerum insolentissima transgressione usum esse Il. XV 344

τάφρῳ καὶ σκολόπεσσιν ἐνιπλήξαντες ὀρυκτῇ,

ubi substantivum τάφρῳ ab attributo ὀρυκτῇ altero substantivo per καί adnexo seiunctum est, ita ut vocabula sensu arte cohaerentia principium et finem versus obtineant. fortasse metri necessitudo ad hanc insolentiorem collocationem invitabat, cum similis versus exitus Il. XII 72 inveniatur; tamen hyperbati excusatio inde est petenda, quod in voce τάφρῳ summa vis versatur et notio, quae vocabulo σκολόπεσσιν continetur, inferior est, ut intellegi possit τάφρῳ σὺν σκολόπεσσιν et τάφρος vim suam exerceat etiam altero vocabulo interposito. similem causam observabis in hyperbato enuntiati relativi (vide § 11); hic autem apposite comparaveris locum pariter conformatum Eurip. Cycl. 603 sq.

καὶ μὴ 'πὶ καλλίστοισι Τρωικοῖς πόνοις
αὐτόν τε ναύτας τ' ἀπολέσητ' Ὀδυσσέα.

neque habeo quo melius referatur traiectio non dissimili genere distincta, quae invenitur in epigrammate sepulcrali apud Kaibelum nr. 435 v. 4 sqq.

εἰκόνας σῆς ἀρετῆς παῖδας γαμέτῃ προλιποῦσα
οὐκ ἔφθης μετὰ τοῖσι πάτραν φιλίους τε συναίμους
Ἀντιόχειαν ἰδεῖν γαμέτην θ' ἅμα τόν σε ποθοῦντα.

quamquam hoc loco insolentior illa verborum disiunctio, qua alterum obiectum particula *τέ* adnexum inter *πάτραν Ἀντιόχειαν* sese insinuavit, fortasse nisi 'poetae inscitia' excusari non potest; nam cur nomen *Ἀντιόχεια* graviorem sibi accentum flagitet, causam non perspicio.

Omnia, quae supra disputavimus, eo redeunt, ut unum substantivum et attributum in enuntiato reperiatur; sed restat adhuc, ut eas traiectiones accuratius contemplemur, quas duo substantiva cum suo utrumque adiectivo vel attributo efficiant. ita enim sententia conformata satis artificiosus et contortus vocabulorum ordo existit, qui et ad versus facile conformandos et ad elegantiam sermonis augendam multum valuit. neque simplicissimum Homeri dicendi genus eiusmodi dispositiones reformidavit; cf. Il. XV 685

ἐπὶ πολλὰ θοάων ἴκρια νηῶν,

I 283 sq.

ὃς μέγα πᾶσιν
ἕρκος Ἀχαιοῖσιν πέλεται πολέμοιο κακοῖο,

Od. XVIII, 301. huius vero collocationis causa cognoscitur in quadam aequalitate et congruentia sermonis, cum unae eaedemque partes orationis vel ea vocabula, quae inter se sint cognata et similia, iuxta ponantur; sic adiectiva cum adiectivis, substantiva cum substantivis consociantur. quam vocabulorum consecutionem Naegelsbachius, Lat. Stil. p. 467 sqq., amplificata vocabuli potestate anaphoricam nominavit. praeterea seiunctione verborum ex grammatices legibus cohaerentium efficitur, ut singulae notiones maiore cum vi eniteant legentisque animo clarius ante oculos versentur. saepissime autem

et cum aperto consilio orationi dignitatem et gratiam parandi tales verborum implicatae collocationes in poesi lyrica sese offerunt. apponam aliquot exempla, quibus, qui eruditas aures et venusti iudicium habent, protinus percipient elegantem et artificiosam, expressam ac significantem conformationem. itaque cf. Pind. Nem. IX 48

νεοθαλὴς δ' αὔξεται
μαλθακᾷ νικαφορία σὺν ἀοιδᾷ,

Pyth. IX 1 sqq.

ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν
σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλων
Τελεσικράτη χαρίτεσσι γεγωνεῖν,

Ol. III 34 sqq., Aesch. Sept. 130 sq.

τὸν ἀμφίζευκτον ἐξαμείψας ἀμφοτέρας ἅλιον
πρῶνα κοινὸν αἴας,

Soph. Ai. 934

μέγας ἄρ' ἦν ἐκεῖνος ἄρχων χρόνος
πημάτων,

Trach. 510 sq.

ὁ δὲ Βακχίας ἀπὸ
ἦλθε παλίντονα Θήβας,
τόξα καὶ λόγχας ῥόπαλόν τε τινάσσων,

quo loco ultimo adiectivum παλίντονα, quod substantivum τόξα accurate definiens ad constructionem participii pertinet, insolentius inter membra verbi finiti traiectum est. nonnunquam praeter elegantiam sermonis et metri commoditatem singularis causa est cognoscenda, quae verbis traiciendis favebat. ita exempli gratia in Pind. Nem. I 44 sq.

δισσαῖσι δοιοὺς αὐχένων
μάρψαις ἀφύκτοις χερσὶν ἑαῖς ὄφιας

contorta substantivorum et adiectivorum collocatio exorta est, quia poeta similes et ad sensum prorsus pares voces proxime consociare studebat. huc etiam facit Eurip. Hec. 690. atque artificiosissime Sophocles, qui omnino poetarum tragicorum sollertissime verba disposuit, substantiva et attributa implicuit O. C. 199 sq.

βάσει βάσιν ἅρμοσαι,

. . . . . .

γεραὸν ἐς χέρα σῶμα σὸν
προκλίνας φιλίαν ἐμάν,

ubi ἐς χέρα inter vocabula arte cohaerentia γεραὸν σῶμα σόν interposuit, ut oppositio, quae verbis σόν et ἐμάν continetur, magis eniteret, cum verba sibi contraria finem colorum facerent. remissior quoque dialogorum sonus a simili verborum collocatione non abhorret. cf. Phrynichi frg. 5, v. 4 p. 558 Nauck.

ὠκεῖα μάργοις φλὸξ ἐδαίνυτο γνάθοις,

Soph. O. R. 52, Aesch. Coeph. 82 sq.

ποτέρα λέγουσα παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν
γυναικὸς ἀνδρί, τῆς ἐμῆς μητρὸς πάρα;

hic enim studium illud saepissime iam observatum similiter consonantes vocabuli formas et notiones sibi oppositas consociandi traiectionem effecit. praecipue Sophocles hoc artificium in suum usum convertit; cf. O. R. 284 sq. et O. C. 282 sq. e posteriorum temporum poetis in primis nominandus est Lycophro, qui hac dispositione curiosius cavit, ne oratio naturali serie decurreret; sic in vv. 333 sq.

σὲ δ' ἀμφὶ κοίλην αἰχμάλωτον ᾐόνα
πρέσβαν Δολόγκων δημόλευστον ὠλένῃ

omnia verba tam nexa atque inter se iugata posuit, ut prima facie versus quadam obscuritate perfusi esse videantur. difficultate, sed non item elegantia caret illud Pauli Silentiarii anth. Pal. V 251, 1 sq.

γυμνὰ δέ γυμνοῖς
ἐμπελάσει γυίοις γυῖα περιπλοκάδην,

ubi causa transpositionis in propatulo est. neque soluta oratio hanc artificiosam substantivorum et attributorum collocationem contempsit. sic Plato, Phaedo. p. 93 d ἀλλὰ προωμολόγηται, ἔφη, μηδὲν μᾶλλον μηδ' ἧττον ἑτέραν ἑτέρας ψυχὴν ψυχῆς εἶναι, eiusdem stirpis vocabula per adnominationem copulavit (cf. Hipp. I p. 299 d.) atque simili verborum iunctura Polit. 288 e παρέσχον δημιουργεῖν σύνθετα ἐκ μὴ συντιθεμένων εἴδη γενῶν, orationem acriorem et efficaciorem reddidit.

Memoratu vero haud est indignum, tales duorum substantivorum cum attributis permixtiones etiam apud priscos Latinorum poetas scenicos saepius reperiri. quare cf. Plaut. Amph. II 2, 15

id modo si mercedis
datur mihi, ut meus victor vir belli clueat,

Poen. I 2, 166

novi ego huius mores morosi malos.

vide Ussingium ad Plaut. Amph. 291 et Ter. Andr. I 5, 12

nullon ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?

Liv. Andron. Terei frg. 3 Ribb.

ego puerum interea ancillae subdam lactantem meae.

notabile est exemplum Attii frg. 3 p. 281 Ribb.

lue patrium hostili fusum sanguen sanguine.

hic enim pugnantia secum et eiusdem vocabuli variae formae non sine arte et consilio iuxta sunt posita. apprime compara locum Horatianum sat. II 6, 80 sq.

rusticus urbanum murem mus paupere fertur
accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum.

iam delati sumus ad Augustae aetatis poetas; qui omnino huius artificii feracissimi tot praebent exempla, ut notare putidum sit. sufficiant haec Hor. carm. I 3, 10 sq., I 7, 15 sq., IV 4, 31 sq.

neque imbellem feroces
progenerant aquilae columbam[1]),

Ov. rem. 696

ut melior causa causa sit illa tua,

her. XVIII 103 sq.

in tua si veniunt alieni colla lacerti
fitque novus nostri finis amoris amor.

quid quod etiam prosae orationis scriptoribus eiusmodi implicatae collocationes intra fines paulo artiores concedendae sunt? cf. Cic. nat. deor. II 37, 93 *innumerabiles unius et*

---

[1]) De variis formis, quibus Horatius bina substantiva cum binis adiectivis coniunxerit, cf. Eggers l. c. p. 68 sqq.

viginti formae literarum, Liv. X 46 *quae spolia nota frequenti publicorum ornatu locorum erant;* atque de Apuleio, qui hisce rebus excellit, vide Kozioli librum Stil des Apul. p. 333.

Iam longam viam permensis paulisper nobis retro vertendum est iter, ut carmina dactylico metro composita, ad quae in proximis minus animadvertimus, paulo accuratius perlustremus. consulto autem illa hucusque seposui, cum ea coniunctim potius tractare mihi esset propositum. poetae enim dactylici et elegiaci quam maxime amant artificiosam illam et ab ordine naturali recedentem collocationem substantivorum et adiectivorum, ut homines docti certas quasdam formulas detexerint, quae illis poetis fuerint in deliciis. in ceteris vero carminum generibus minime eiusmodi σχήματα constitui possunt, quamquam, ut supra vidimus, et in illis inusitatae iuncturae haud raro reperiuntur. contra poetae dactylici, in primis elegiae cultores, de industria adsciverunt artificiosam seriem, cum ad conformandos hexametros et potissimum pentametros haec ratio multum valeret. sed non pares hac in consuetudine poetas Graecos et Latinos esse primo obtutu carmina perlegenti apparebit. Romani enim hanc traiectionem mirum quantum frequentarunt atque eius generis, quo substantivum a suo utrumque adiectivo separatur, ut plerumque hemistichia litterarum simili exitu finiantur, multo maiorem exemplorum numerum apud Latinos invenies quam apud poetas Graecos. verum etiam hi inter se distant. antiquiores enim Graecorum poetae elegiaci raro tantum artificiosa illa symplegmata admiserunt (cf. A. Langen, de disticho Graecorum elegiaco pars I, p. 16, 34, 40), cum poetae Alexandrini ea libenter arripuisse videantur[1]). itaque quamvis prisci elegiae cultores hanc rem praeiverint, tamen certum studium substantivum a suo utrumque adiectivo diducendi apud poetas Alexandrinos demum agnoscas. Romanorum autem 'poetae

---

[1]) Illud non est omittendum, e recentioribus Graecorum poetis Nonnum Romanos poetas elegiacos prorsus adaequare.

novi'., incedentes illi in ipsis Alexandrinorum vestigiis, sollemniter fere substantiva et adiectiva audacius per versum dispescebant. licet commoditas aliqua ad versus condendos Romanis haec perplexa schemata commendaverit, quia cum metro dactylico quasi coaluisse videntur, saepissime tamen consueta series certam ob causam relicta est, ut variaretur atque artificiosior fieret oratio aut elegantia quaedam eluceret versiculorum singulorum hemistichiis quam aequissime compositis aut vocabulum vi sua praevalens eminentiore loco poneretur. sunt enim multi, quibus sine ulla verborum commutatione vulgarem ordinem restituere possis. ut exemplo utar forte occurente, Cat. 64, 63

non flavo retinens subtilem vertice mitram

verba ita ordinare licet 'non retinens mitram' vel 'non mitram retinens subtilem vertice flavo'. itaque poeta acutam illam vocabulorum *πλοκήν* praetulit, quamvis nulla vi cogeretur. quare gratiam et iucunditatem eum quaesivisse manifestum est. quot autem e diversis substantivorum et attributorum symplegmatis oriantur formulae et quomodo differant singuli poetae, satis superque ab aliis est expositum[1]). quorum diligens cura effecit, ut mihi iam nihil amplius sit addendum. hoc tamen scitu est utile in eiusmodi exemplis codicum auctoritati parum esse tribuendum: librarii admodum indulserunt vocabulis, metro concedente, transponendis. simplicior autem duorum substantivorum cum adiectivis positio eis locis apparet, ubi alterum substantivum cum suo attributo coniunctum inter alterum nomen eiusque adiectivum intercedit, ut Tyrt. frg. 5, v. 6 Bergk.

αἰχμηταὶ πατέρων ἡμετέρων πατέρες.

---

[1]) Inspice, si non piget, grandem commentationum silvam: Langen, l. c., Fisch, de Catulli in vocabulis collocandis arte quaest. selectae (Berl. 1875), Gebhard, de Tib. Prop. Ov. distichis (Regim. 1870), Krafft, de artibus quas Tib. et Lygdamus in versibus concinnandis adhibuerunt (Halis 1874) p. 11 sqq., 29 sqq., Birt, ad historiam hexametri Lat. symbola (Bonn. 1876), Gebbing, de Valerii Flacci tropis et figuris (Marb. 1878) p. 58, Streifinger, de synt. Tib.

contra artificiosior ordo ita institutus est, ut substantivum a suo utrumque adiectivo seiungatur, veluti Theogn. 250

ἀγλαὰ Μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων.

novas denique, si libet, enumerare poteris formulas, si bina substantiva cum binis attributis et verbum finitum versus ambitum explent. nam prout verbum erit collocatum, alia versus forma apparebit. cf. Fritzschium ad Theocr. XXV 277, 156 in edit. mai. et eundem ad Hor. serm. I 3, 7; I 8, 16.

Sed hanc de versibus dactylicis quaestionem iam missam faciamus, quippe graviora et difficiliora nos vocant. veluti suspenso pede perplexam illam dispositionem pervolemus, qua tria substantiva a suis attributis insolentius diducuntur. itaque Lycophronis mihi considera versus 1155 sq.

αἷς ἀκτέριστος ἐν ξένῃ ξέναις τάφος
ψάμμῳ κλύδωνος λυπρὸς ἐκκλυσθήσεται.

nonne vides hac vocabulorum mixtura acui singula orationis membra et consilio periodum minutatim esse concisam? similem habes verborum contortam seriem Hor. carm. I 9, 21 sq.

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo.

verum hic singulare artificium cernitur. nam quamquam vocabula audacissime inter se nexa et implicata sunt, tamen ordinis lumen non desideras, cum verba ut in eodem versuum loco sibi mutuo respondent, ita in constructione sint coniungenda. neque alterum Horatii exemplum, quod apte huc adducitur, affectatae elegantiae lenocinio est destitutum carm. III 11, 26 sq.

et inane lymphae
dolium fundo pereuntis imo,

ubi vide Dillenburgerum.

Si quis substantivorum et attributorum varias traiectiones diligenter perscrutatus fuerit, eum certe non effugit, nonnullis locis ordinem verborum ita esse conformatum, ut perspicuitate oratio careat. verba enim quamquam ex grammatices legibus, ut iuxta collocata leguntur, coniungi possunt, tamen ex sententiarum conexu aliter videntur construenda. ne scriptorum

quidem sermoni haec audacia abiudicanda est; Thucydides enim tale quid ausus est I 73 *καὶ τὰ μὲν πάνυ παλαιὰ τί δεῖ λέγειν; ὧν ἀκοαὶ μᾶλλον λόγων μάρτυρες ἢ ὄψις τῶν ἀκουσομένων*, ubi *ὧν* a substantivo *μάρτυρες* et *λόγων* a nomine *ἀκοαί* pendent. animadvertenda autem est traiectio verborum, in qua Pindarus nimium sibi indulsisse et iustos fines transgressus esse videtur, Pyth. I 84

ἀστῶν δ᾽ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλιστ᾽ ἐσλοῖσιν
ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις.

Boeckhius *ἀστῶν ἀκοά* coniunxit atque explicavit 'fama apud cives audita'. at genetivi ea, quam Boeckhius intellegit, vis omnino esse non potest, quam ob rem Friesium (Programme du collège royal Français, Berl. 1872 p. 39) secutus coniunxerim *ἀστῶν* cum *θυμόν*, *ἀκοά* cum *ἐσλοῖσιν ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις* et *κρύφιον* cum scholiis pro adverbio habeo; itaque sic instituenda est constructio *ἀκοὰ ἐσλοῖσιν ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις βαρύνει μάλιστα ἀστῶν θυμὸν κρύφιον*. vide etiam Tafelii dilucidat. Pind. vol. II p. 525. illae vero notiones, quae inter se oppositae esse videntur, ut maiorem consequerentur emphasin, principium et finem versus obtinuerunt. hoc exemplo confirmati certius iudicare audemus de alio Pindari loco satis ambiguo Pyth. II 56

τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον.

sententia quidem minus obscura est, cum poeta certe hoc dicere voluerit *τὸ δὲ ἐπιτυγχάνειν πλούτου μετὰ σοφίας, ἄριστόν ἐστιν*; sed de iunctura verborum ambigi potest. Boeckhii interpretationem iure suo Luebbertus (de Pindari elocutione p. 15) repudiavit, neque quam ipse proposuit, explicatio mihi probanda esse videtur. ille enim coniunxit *σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας*, ut *ἄριστον* praedicati vices gereret. qua in structura valde displicent cumulata illa verba idem significantia *τύχᾳ πότμου*, quibus alter genetivus *σοφίας* additur; exempla ad hanc pleniorem formulam allata paulo aliter sunt comparata excepto uno illo Pyth. IV 271 *τρώμαν ἕλκεος*, sed etiam hoc loco alter genetivus deest.

itaque Aristarchi sententiam amplexus non dubito nodum ita solvere τὸ δὲ πλουτεῖν σὺν τύχᾳ σοφίας ἐστὶν πότμου ἄριστον. cui structurae non obesse verborum collocationem superiore loco satis comprobatur. ad idem traiectionis genus, quod ambiguitati et significantiori orationi servit, revocandi sunt versus Nem. VI 30 sq., quorum difficiliorem consecutionem recte explicuit Leopold Schmidtius, Pindars Leben und Dichtung p. 508 sq. not. 2. hanc Pindari rationem vocabulorum per versum audacter dispescendorum in exemplum sibi sumpsisse videtur Lycophro, qui prorsus simili verborum dispositionis insolentia quasi fraudem lectoribus dedisse dicendus est. quis enim protinus recte intelleget Alex. 691 sq.

ἐν ᾗ πιθήκων πάλμυς ἀφθίτων γένος
δύσμορφον εἰς κηκασμὸν ᾤκισεν τόσων,

cum verba redempta e vinculis numerorum in hanc seriem sint redigenda πάλμυς ἀφθίτων ᾤκισεν γένος πιθήκων? plura e Lycophrone hac traiectionis specie luxurianti affectatione abuso contulit Scheerius l. c. p. 6 sq. idem etiam in v. 510

ἃ δὴ πρὸς ἄστρων κλίμακα στήσει δρόμον,

ubi interpretes frustrata est verborum collocatio insolentior, primus recte enuntiati structuram enodavit[1]). neque aliter me iudice explicanda sunt Horatii verba carm. III 1, 21 sq.

---

[1]) Perverse Iacobsius simile verborum symplegma statuit in Nicomedis epigrammate Aesculapii pueri statuae inciso, quam Boethus sculptor fecerat, append. anth. Pal. 56 (nr. 805 b Kaibel.)

τοῖόν τοι, Παιὰν Ἀσκλήπιε, σεῖο Βοηθὸς
χειρὸς ἄγαλμ' ἀγαθῆς τεῦξεν ἑαῖς πραπίσιν.

verba enim sic ordinanda esse censuit τοῖον σεῖο ἄγαλμα, Ἀσκλήπιε, Βοηθὸς ἔτευξεν ἑαῖς πραπίσιν ἀγαθῆς χειρός. sed plane incredibile Iacobsii commentum est illud ἑαῖς πραπίσιν ἀγαθῆς χειρός, quod tueri se posse arbitratur collato Philostrati loco, qui iam nunc correctus est eiecta interpolatione ἢ ἑτέρα χείρ. immo recte se habet ἄγαλμα χειρὸς ἀγαθῆς, cui prorsus simile exemplum est in Eurip. Androm. frg. 124 σοφῆς ἄγαλμα χειρός. iam Kaibelus l. c. χειρὸς ἀγαθῆς ab ἄγαλμα suspensum esse voluit.

somnus agrestium
lenis virorum non humilis domos
fastidit.

ne 'somnus agrestium virorum' iungam, sententia maxime me movet, quod humiles illae domus agrestium virorum domicilia esse videntur neque cum eis quae proxime sequuntur 'somnus agricolarum' consistere potest. quare genetivus 'agrestium virorum', quamquam verbis 'lenis somnus' implicatus, tamen ab illis segregandus et cum remotiore accusativo 'humilis domus' construendus est[1]). in transcursu velim attendi quoque ad collocationem voculae 'non', et eam ita factam, ut lectorum commodo parum sit consultum. ostentat autem hoc exemplum Horatii studium exemplarium Graecorum granditatem et sublimitatem insueta verborum dispositione auctam imitandi. etiam illis deinceps locis, ubi uni dumtaxat substantivo attributum appositum est, hic illic interposito altero substantivo obscura fit oratio. cf. Prop. III 26, 7

quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,

III 15, 54, Musaei carminis v. 212

ἔσσομαι ὁλκὰς Ἔρωτος, ἔχων σέθεν ἀστέρα λύχνον,

quae verba ita sunt explicanda 'habens stellae locum tuum lychnum'. atque proxime ad similitudinem accedit Ovidii locus art. II 357 *sed mora tuta brevis*, ubi e sententiae ratione coniungendum est 'sed mora brevis tuta est'. non sine consilio Iuvenalis verborum ordinem cum quadam ambiguitate disposuit XVI 13 sq.

Bardaicus iudex datur haec punire volenti
calceus et grandis magna ad subsellia surae.

---

1) In Propertii versu IV, 13, 8

cinnamon et multi pastor odoris Arabs

post multiplicem cogitationem nihil certi adsecutus sum. quod nonnulli in librorum scriptura acquieverunt et hyperbaton statuerunt, ut intellegendum sit 'cinnamon multi odoris', hoc traiectionis mirae exemplum prorsus esset solitarium, quod ipsius Popertii audaciam excederet, cum etiam particula 'et' aliam constructionem suadeat. praeter editorum notas vide Hauptii op. I 123, III 515, Vahlenum in relationibus menstruis acad. litt. Berol. 1881 p. 350.

qui primum haec verba perlegerit, 'Bardaicus iudex' coniunctim percipiet; tamen adiectivum 'Bardaicus' a nomine 'iudex' est seiungendum et cum substantivo 'calceus' consociandum; enuntiatum autem, quod insolentiorem continet cogitationem, hoc modo plus arguti leporis et cavillationis consequitur.

Nonnunquam, praesertim apud Romanorum poetas elegiacos, ubi complura substantiva et attributa in enuntiato extant, ea ita artificiose disposita vel discerpta inveniuntur, ut oratio non quidem ambigua existat aut errorem legentibus faciat, tamen difficilis sit intellectu, cum vocabula arto sententiae et grammaticae structurae vinculo coniuncta audacissime per versus dissipata et fere pro lubitu mixta videantur. non vero solum metri necessitate coacti, ut versus recte stare posset, poetae hucusque processerunt, sed his artificiosis et quasi ambitiosis ornamentis ante omnia gratiam et iucunditatem parare studebant. veluti in Catulli loco 65, 5 sq.

namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
pallidulum manans alluit unda pedem

est quodammodo 'crispum agmen orationis'; oratio procedit quasi undis lenibus ultro citroque tracta, unde existit modulus exquisite numerosus. ac profecto bis versus legas necesse est, priusquam singula verba recte inter se iunxeris; structura autem percepta facile te advertet, quam subtili arte poeta utroque versu perplexerit substantiva cum attributis. adscribam aliud luculentum exemplum Prop. IV 13, 55 sq.

te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
nutrit in hospitio non, Polydore, pio.

filum, quo usus ex hoc perturbatorum verborum labyrintho te expedias, praebet Hertzbergius quaest. Prop. p. 121. vocabula enim locis inter se longe disiunctis posita cogitando sunt consocianda, difficultas autem nominum propriorum in versum cogendorum poetam permovisse videtur, ut insolentiorem nec vero sibi ipsi insuetam adscisceret dispositionis rationem. sed haec iam ad insequentem paragraphum traducunt.

Restat huic paragrapho appendix quaedam, qua de hyperbato appositionis pauca addamus, quod haec quaestio cum

traiectione substantivorum et adiectivorum arte cohaeret. nonnunquam accidit, ut appositio, quae e sua ipsius natura notioni, cui est addita, proxime subsequi debet, longius ab ea removeatur. qua de re cf. Simonidis frg. 5 v. 15 sqq.

τοὔνεκεν οὔποτ᾽ ἐγὼ τὸ μὴ γενέσθαι
δύνατον διζήμενος, κενεὰν ἐς ἄπρακτον ἐλπίδα μοῖραν
αἰῶνος βαλέω,
πανάμωμον ἄνθρωπον, εὐρυέδους ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα
χθονός,

ubi *πανάμωμον ἄνθρωπον* pertinet ad illud *τὸ μὴ γενέσθαι δύνατον;* hac autem transpositione singula sententiae membra clarius oculis offeruntur et appositum illud ad finem reiectum acrius percipitur. deinde inter nomen eiusque attributum saepius appositio intercedit; cf. Hom. Od. IX 222 sq.

ναῖον δ᾽ ὀρῷ ἄγγεα πάντα,
γαυλοί τε σκαφίδες τε, τετυγμένα, τοῖς ἐνάμελγεν,

et multo artificiosius Prop. II 3, 14

non oculi, geminae, sidera nostra, faces,

quo loco alterum appositum priori est inclusum. ad traiectionem etiam pertinet ille verborum ordo vulgari Romanorum sermoni perquam familiaris, qui exempli gratia apparet in verbis *meus Mnesilochus filius* (Plaut. Bacch. II 3, 112), ubi pronomen 'meus' cum appellativo 'filius' coniungendum est. Latinorum poetae scenici, qui sermonem cottidianum imitantur, hanc collocationem frequentarunt (cf. Ussingium ad Plaut. Amph. 1093, Brixium ad Capt. 872) atque etiam apud Ciceronem in epistulis ea saepe occurrit (cf. Madwigii opusc. I p. 170). appositionem autem vulgo nomini subsequi satis notum est; sed passim substantivo praecedit. ita Aesch. Ag. 335 *τοιαῦτά τοι γυναικὸς ἐξ ἐμοῦ κλύεις*, ubi Clytaemnestra cum vi et ironia quadam notionem *γυναικός* praeponit. huc etiam tendit Pind. frg. 122 Bergk.

πολλάκι ματέρ᾽ ἐρώτων οὐρανίαν πτάμεναι
νόημα ποττὰν Ἀφροδίταν.

aliam appositionis non suo loco positae speciem cf. infra § 11. saepissime traiectio eo efficitur, ut nomen, quod accuratius

explicatur, inter partes appositionis intercedat, ut Hom. Od. XXIV 334 ἐς πατέρ' Αὐτόλυκον μητρὸς φίλον et Il. XXIII 612, cuius dicendi generis complura exempla ex Homericis carminibus composuit Schnorr v. Carolsfeld, verbor. coll. Hom. p. 14; praeterea cf. Aesch. Coeph. 764, Eurip. Hipp. 64 sq., Apoll. Rhod. IV 268, Schneiderum ad Callim. hym. IV 271, Apollonidem anth. Pal. VII 642, 1 sq., Hor. carm. I 29, III 24, 42, IV 8, 31. prorsus autem in semet ipsae sunt implicatae hae duae orationis partes in Aeschyli frg. 185

πῇ μὲν δίδυμον χθονὸς Εὐρώπης
μέγαν ἠδ' Ἀσίας τέρμονα Φᾶσιν,

ubi verba ita sunt construenda μέγαν Φᾶσιν, δίδυμον χθονὸς Εὐρώπης ἠδ' Ἀσίας τέρμονα. Romanorum poetae elegiaci hac artificiosa et contorta collocatione quam saepissime sunt usi, ut versum per notas illas formulas conformarent; ex innumeris fere exemplis duo eaque insignia afferre sufficiat Prop. IV 17, 27

curvaque, Tyrrhenos, delphinum corpora, nautas

et Ov. art. III 206

parvus, sed cura grande, libellus, opus.

ad hyperbaton appositionis eiusque nominis referri potest etiam id traiectionis genus, quod apud articulum attigimus; dico traiectionem qualis est τόν σε χοροῖς μέλψαντα Σοφοκλέα. eadem causa cernitur in Apollonidae versu anth. Pal. IX 287, 1

ὁ πρίν ἐγὼ Ῥοδίοισιν ἀνέμβατος ἱερὸς ὄρνις.

non alienum esse videtur hic commemorare alia exempla, quibus pronomen personale similiter transgreditur. sic in Callini frg. 2 Bergk. v. 20

ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν

interveniente pronomine substantivum πύργον quasi diutius reservatum magis effertur. porro huc in primis cadunt Aristoph. Nub. 257

ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε

et Vesp. 363

ὥσπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν τηροῦσιν[1]).

exiguo deinde fine distant illi loci, quibus nomen proprium in constructionem participii cum articulo coniuncti est traiectum, cum ex ordine vulgari praecedere deberet, ut Soph. El. 694 sq. similia sunt Sop. O. C. 1245 κάλει τὸν ἤδη Λάϊον πάλαι νεκρόν et Lycophr. 1327 sq., Plat. anth. Pal. VI 1, 1 sq.

Denique sub finem huius capitis obiter rationem habeamus disiunctionis haud raro sese offerentis. etenim substantiva et adiectiva in casu vocativo posita hic illic longiore spatio diducuntur. id cum notius sit quam quod copiose explicare velim, exempla sumantur haec Pind. Ol. XIII 24 sqq. (vide L. Schmidtium, Pindars Leben und Dichtung. p. 329, 1 ad Ol. XIII 114 sq.); Soph. O. C. 1415, Theocr. V 68 sq

τὺ δ', ὦ φίλε, μήτ' ἐμέ, Μόρσων
ἐν χάριτι κρίνῃς.

porro Callim. anth. Pal. VII 725, 1, Rhianus VI 278, 3; Plaut. Men. V 9, 72

o salve, insperate, multis annis post quem conspicor,
frater.

Tib. I 2, 71, Hor. sat. I 2, 17 sq.

§ 9. De variorum enuntiati membrorum traiectione.

Quoniam in liberiore verborum collocatione interdum necessarium est ad id animum advertere, quonam munere in enuntiati ambitu fungatur vocabulum, quod est transpositum, hanc rem in illis quae antecedunt paragraphis minus spectatam nunc aliquanto diligentius persequemur atque eas figurae species, quae inter ceteras praesentis disputationis partes commode recipi non possunt, hoc loco tractabimus.

---

[1]) Apte hoc loco mihi afferre videor Ovidii versum fast. V 21, quem Merkelus in iterata recognitione (Lips. 1884) p. XXXIX sic refinxit

nec latus Oceano plus quam deus advena iunxit,

ut haec esset orationis series 'deus plus quam advena'.

Si subiectum enuntiati ex duobus membris constat, non raro fit, ut haec duo nomina praedicato interposito seiungantur. cf. Hom. Il. II 815

ἔνθα τότε Τρῶές τε διέκριθεν ἠδ' ἐπίκουροι.

sed idem accidit etiam aliis sententiarum membris, ut apud Thucydidem I 2 *οὔτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον οὔτε ἄλλῃ παρασκευῇ*. tali verborum conformatione et verba distracta maiorem consequi accentum et praedicato medium locum obtinente rhythmum quendam orationis existere, ita ut oratio primum quasi ascendere, deinde sensim descendere videatur, quis est qui non statim percipiat? multo autem maiorem libertatem eis locis cognoscas, quibus verbum finitum plurali numero positum duobus subiectis singulari forma intercedat, quamquam priori nomini succedens huic artissime accommodandum erat. quam verborum collocationem grammatici schema Alcmanicum vocant. cf. Welckerum, fragmenta Alcmanis p. 20 sq., Wilpertum, de schemate Pindarico et Alcmanico (Vratislaviae 1878) p. 46 sqq. appellationem enim haec figura accepit ab Alcmane lyrico, qui eam saepius frequentabat (cf. Eustath. p. 606, 38); sed exempla etiam in Homeri carminibus inveniuntur, cf. Il. V 774

ἧχι ῥοὰς Σιμόεις συμβάλλετον ἠδὲ Σκάμανδρος,

Od. X 513 sq., XIV 216, Il. XX 138. vide Schnorr v. Carolsfeld l. c. p. 11. e litteris Latinis apponam Ov. fast. III 37

Martia, picus, avis gemino pro stipite pugnant
et lupa

cf. etiam Paus. V 11, 2 *καὶ ὑπὸ τὰς σφίγγας Νιόβης τοὺς παῖδας Ἀπόλλων κατατοξεύουσι καὶ Ἄρτεμις*. eodem modo ad figuram Alcmanicam ea exempla sunt referenda, quibus attributum vel appositio ad duo nomina spectans, quamvis priori nomini proxime subsequatur, tamen plurali sit numero; veluti Alcmanis frg. 9 Bergk.

Κάστωρ τε πώλων ὠκέων δματῆρες, ἱππόται σοφοί,
καὶ Πολυδεύκης κυδρός

et Pind. Pyth. IV 178

πέμπε δ' Ἑρμᾶς χρυσόρραπις διδύμους υἱοὺς ἐπ' ἄτρυτον πόνον,
τὸν μὲν Ἐχίονα, κεχλάδοντας ἥβᾳ, τὸν δ' Ἔρυτον.

Euripides quoque hoc schema usurpavit in Iph. Aul. v. 195 sqq. cui subiungas Metrodori epigramma anth. Pal. XIV 116, 5.

Deinde enuntiati subiectum insolentiore nonnunquam modo transpositum aliique sententiae membro insertum est. difficiliora tantum et exquisitiora delibo. inspice Stesichori frg. 18 Bergk.

ᾤκτειρε γὰρ αὐτὸν ὕδωρ ἀεὶ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσιν,

et Apollonii Rhodii locum maxima libertate insignem Argon. I 623 sqq.

καὶ τὸν μὲν ἐς Οἰνοίην ἐρύσαντο
πρόσθεν, ἀτὰρ Σίκινόν γε μεθ' ὕστερον αὐδηθεῖσαν
νῆσον, ἐπακτῆρες, Σικίνου ἄπο.

apud Romanorum poetas aetatis Augustae saepius subiectum duobus praedicatis commune in secundo collocatum reperitur, ut animus legentis exspectatione magis intendatur et alteri membro plus dignitatis et nervorum accedat. cf. Tib. I 9, 7 sq.

lucra petens habili tauros adiungit aratro
et durum terrae rusticus urget opus

et I 8, 62. ad figuram ἀπὸ κοινοῦ quidem hanc collocationem referre possis; tamen ab exemplis supra cmomemoratis eo potest differre videri, quod membrum commune secundae parti orationis non praefigitur, sed mediae immiscetur. etiam in tertium enuntiati membrum transpositum est subiectum Ov. met. II 165 sq.

sic onere assueto vacuus dat in aera saltus
succutiturque alte similisque est currus inani.

insignis autem, quod subiectum e constructione accusativi cum infinitivo in alterum enuntiatum primarium transgreditur, est locus Ovidianus met. XV 156 sqq.

corpora sive rogus flamma seu tabe vetustas
abstulerit, mala posse pati non ulla putetis,
morte carent animae,

constructio enim ita decurrit 'putetis animas pati non posse ulla mala, quippe quae morte careant'. similiter comparata sunt exempla, quae sub titulo figurae *ἀπὸ κοινοῦ* ad Prop. III 24b, 35 et III 26b, 25 apposui. de subiecto in enuntiatum secundarium traiecto vide § 12.

Cum supra de attributorum et substantivorum hyperbato ageremus, poetas haec vocabula inter bipartita orationis membra distribuere in deliciis habuisse vidimus. pari modo aliae quoque enuntiatorum partes, quibus consuetudo aliqua intercedit, si sententia duo membra continet, singulis adiunguntur. ita subiectum et praedicatum disposuerunt Theodoridas anth. Pal. VI 155, 3 sq.

αἰχμητὰν δ' ἐπέθυσεν ἀλέκτορα καὶ πλακόεντα
παῖς Ἡγησιδίκου πίονα τυροφόρον

et Antipater anth. Pal. VI 287, 7 sq. praedicatum et obiectum similiter collocantur Tib. I 1, 11 sq.

nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
seu vetus in trivio florea serta lapis.

cf. Val. Flacc. VI 20. eadem autem ratione Pindarus vocabula implicuit Pyth. VIII 25 sqq.

πολλοῖσι μὲν γὰρ ἀείδεται
νικαφόροις ἐν ἀέθλοις θρέψαισα καὶ θοαῖς
ὑπερτάτους ἥρωας ἐν μάχαις,

quae mixta et perturbata verborum consecutio ita solvenda est *ἀείδεται γὰρ θρέψαισα ἥρωας ὑπερτάτους ἐν νικαφόροις ἀέθλοις καὶ θοαῖς ἐν μάχαις.* similium exemplorum omnia poesis genera satis magnam multitudinem subministrant. cf. Aesch. Ag. 215 sqq.

λιτὰς δὲ καὶ κληδόνας πατρώους
παρ' οὐδὲν αἰῶνα παρθένειον τ'
ἔθεντο φιλόμαχοι βραβῆς.

traiectione verborum *παρ' οὐδέν*, quae ad verbum finitum spectant, cum ea ipsa magis efferuntur, tum vocabula seiuncta (*αἰῶνα παρθένειον*) acriorem consequuntur accentum. par geminumque exemplum praebet idem Aeschylus Ag. 677 sqq., atque eodem faciunt Sophoclis versus O. C. 260 sqq.

εἰ τὰς Ἀθήνας φασί θεοσεβεστάτας
εἶναι, μόνας δὲ τὸν κακούμενον ξένον
σῴζειν οἵας τε καὶ μόνας ἀρκεῖν ἔχειν.

quorum verborum intricata series sic ordinanda est *τὰς Ἀθήνας μόνας οἵας τε ἔχειν σῴζειν καὶ ἀρκεῖν φασιν.* neque aliter passim dixerunt poetae Latini. ex quibus, ne omnia cum ipso pulvisculo corradere videar, sufficiant haec, Tib. II 5, 19 sq.

haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
dicitur et raptos sustinuisse lares,

et Hor. sat. I 5, 49

namque pila lippis inimicum et ludere crudis,

ubi prima facie dispositionis ratio insueta oculis caliginem offundere potest, quod 'ludere' sic verbis 'et crudis' intervenit, quasi 'et ludere' esset copulandum. sed et hanc collocationis speciem licet ad figuram *ἀπὸ κοινοῦ* revocare, non minus quam consimile illud Horatii sat. I 10, 19

nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

Illis quoque locis, quibus bipartita orationis membra non extant, vocabula a praedicato suspensa nonnunquam audacissime inter alias sententiarum partes traiciuntur. complura eorum, quae ad propositum argumentum conducunt, cum opportuniore loco simus disceptaturi, in praesenti paucula tantum hoc genus satis habebimus attigisse. in Simonidis epigrammate, quod quadrigae aeneae inscriptum post duplicem de Boeotis et Chalcidensibus victoriam dedicatae ab Herodoto V 77 nobis integrum servatum (cf. anth. Pal. VI 343, Bergk. poet. lyr. III^4 p. 477) cuiusque fragmentum Athenis in arce repertum est (nr. 748 Kaibel.), v. 4 haec leguntur

τῶν ἵππους δεκάτην Παλλάδι τάσδ' ἀνέθεν[1]).

verba aliquo modo insolenter sunt posita; nam cum ita sint construenda *τῶν δεκάτην τάσδε ἵππους Παλλάδι ἀνέθεσαν*, poeta artificiose, quae conectenda sunt, aliis orationis membris immiscuit, ita ut cavendum sit, ne *τῶν ἵππους* coniunctim percipias. praeterea cf. Pind. Isthm. VII 70

---

[1]) *ἀνέθεν* scripsit Bergkius Schneidewinum secutus pro *ἔθεσαν*.

ἥβαν γὰρ οὐκ ἄπειρον ὑπὸ χειᾷ καλῶν δάμασεν.

ordo est ἥβαν γὰρ οὐκ ἄπειρον καλῶν ὑπὸ χειᾷ δάμασεν; singula autem verba, quod intercise proferuntur, ad aurem fortius accidunt et animum in semet ipsis diutius defigunt. huc etiam pertinet Sophoclis locus, qui omnibus fere interpretibus fucum fecit, Phil. 1365 sq.

οἵ τὸν ἄθλιον
Αἴαντ' ὅπλων σοῦ πατρὸς ὕστερον δίκῃ
Ὀδύσσεως ἔκριναν.

Brunckius haec verba delenda esse censuit eumque plerique recentiorum secuti sunt. ex argumentis, quae homo doctus ad sententiam suam confirmandam protulit, unum illud, quod e v. 412 Philoctetes scire deberet Aiacem iam ante Achillem vita defunctum esse, ab aliis refutatum est. quod autem Philoctetes plura scit, quam ei a Neoptolemo narrata sunt, facile excusari potest. omnino enim in his rebus levioris momenti Graecorum poetae tragici non sunt adeo tenaces, ut, si initio fabulae aliquid commemoraverint, id postea nunquam omnino obliviscantur, neque 'grammaticis tragoedias scripserunt subtiliter omnia rimantibus, sed Atticis spectatoribus poetarum inventa liberali animo accipientibus'. accedit, quod ea, quae Philoctetae hic sunt cognita, ita sunt comparata, ut Neoptolemum hanc rem narravisse sit verisimile. deinde sententiarum conexui, cum id maxime Philoctetae intersit, ut ingratum beneficiorumque immemorem animum Atridarum demonstret et paulo ante Achillis armorum commemorationem iniecerit, apprime convenit iudicii illius mentionem fieri. quod autem ad formam 'huius assuti centonis', pertinet, 'quae aperte mangonem prodit', non video cur verba intellegi non possint, si modo contortam collocationem recte dissolveris. genetivus ὅπλων enim a nomine δίκῃ pendet et ὕστερον, quod ad praedicatum (Ὀδύσσεως ἔκριναν) spectat, in aliam enuntiati partem transpositum est, ut magis eniteret et duo nomina revera sibi opposita (Αἴαντα et Ὀδύσσεως) duobus locis maxime conspicuis sedem haberent. itaque in fumum aut si quid fumo est levius evanescit Brunckii suspicio neque dubito cum G. Hermanno haec verba pro

genuinis habere. confer etiam Mosch. IV, 19

οὐδέ σφιν δυνάμην ἀδινὸν καλέουσιν ἀρῆξαι
μητέρ' ἑήν,

ubi iungas *δυνάμην ἀρῆξαί σφιν μητέρα ἑὴν ἀδινὸν καλέουσιν.* infitiandum vero non est, nonnunquam arte carere talem orationis conformationem, ut in epigrammate sepulcrali (apud Kaibelum nr. 36)

Προξενίας ἀρετῆς τε χάριν προγόνων τεκαὶ αὐτοῦ
ἐνθάδ' Ἀθηναῖοι Πυθαγόρην ἔθεσαν
υἱὸν δημοσίᾳ Διονυσίου.

nam quod *δημοσίᾳ* ad verbum finitum *ἔθεσαν* referendum seiunctim appositioni interpositum est, certe male est collocatum. pariter inelegantis poetae est epigramma nr. 374 Kaibel.

μήτηρ υἱέι Δόμνα πατήρ τ' ἔστησεν Ἀπελλᾶς
τόνδε πρὸ ἡλικίας βωμὸν ἀποφθιμένῳ.

Latinorum quoque poetarum oratio a simili verborum traiectione non abhorret; exemplum satis illustre praebet Terentii Andria I 5, 47 sqq.

o Mysis Mysis, etiam nunc mihi
scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
de Glycerio,

ubi 'in animo' ad verbum finitum 'scripta sunt' pertinet et verba 'Chrysidis de Glycerio' a subiecto 'illa dicta' reguntur. hac autem verborum perturbatione Terentius cottidiani sermonis naturam, in quo vocabula neglegenter quodam modo et dissolute collocari solent, optime videtur imitatus fuisse. neque minus propter perturbatum verborum ordinem animadvertendi sunt Varronis versus (satir. Menipp. ed. Buechelerus nr. 293 p. 192) *aut ille, cervum qui volatili currens*
sparo secutus tragulave traiecit.

nam e vulgari ordine ita fere vocabula sese excipere debebant 'qui currens cervum secutus volatili sparo tragulave traiecit'. etiam Horatius hoc genus exquisitioris verborum collocationis adhibuit carm. I 17, 14 sqq.

hic tibi copia
manabit ad plenum benigno
ruris honorum opulenta cornu,

quam enuntiationem in hunc modum construas 'hic opulenta copia ruris honorum tibi manabit ad plenum benigno cornu'. praeterea cf. Tib. II 4, 29

hic dat avaritiae causas et Coa puellis
vestis et e rubro lucida concha mari.

Denique et ipsum enuntiati praedicatum vel verbum finitum a poetis nonnunquam insolentissime singulis orationis partibus interponitur. cf. Aesch. Prom. 128 sq.

πῶς γὰρ ἱππηλάτας καὶ πεδοστιβὴς λεὼς
σμῆνος ὡς ἐκλέλοιπεν μελισσᾶν σὺν ὀρχάμῳ στρατοῦ,

Hor. epod. 4, 16 *inultus ut flebo puer* et 1, 34. compari verborum dispositione Bentleius orationem nitidiorem venustioremque reddidit Hor. sat. II 3, 133. haec verbi traiectio inter comparationis membrum maiore cum audacia invenitur Mosch. IV 45

σὺ δ' ἠύτε λείβεαι ὕδωρ

et in Meleagri epigrammate anth. Plan. 134, 12

μάτηρ σαρκοπαγὴς οἷα πέπηγε λίθος.

tali autem hyperbato et singula orationis membra artius coniunguntur vel in unum quodammodo copulantur et vocabulum, quod verbo interveniente seducitur, maiorem exercet emphasin. et eiusmodi quidem locutiones, quoniam ab enuntiato secundario proxime absunt, nunc omittimus eandem rem per maiorem quaestionis opportunitatem postea resumpturi. Alexandrini vero poetae in praedicato transponendo omnino vicerunt priorum temporum continentiam. quare lustra mihi Apoll. Rhod. I 146 sqq.

καὶ μὴν Αἰτωλὶς κρατερὸν Πολυδεύκεα Λήδη
Κάστορά τ' ὠκυπόδων ὦρσεν δεδαημένον ἵππων
Σπάρτηθεν.

atque longissime in his quoque, ut in multis aliis, evagatus est Lycophro; cf. Alex. 84 sqq.

φηγὸν δὲ καὶ δρύκαρπα καὶ γλυκὺν βότρυν
φάλλαι τε καὶ δελφῖνες αἵ τ' ἐπ' ἀρσένων
φέρβοντο φῶκαι λέκτρα θουρῶσαι βροτῶν,

ubi scholion recte verba in ordinem redegit τὸ ἑξῆς, φάλλαι

τε φέρβοντο, αἵ τε φῶκαι αἱ ἐπ' ἀρσένων βροτῶν λέκτρα θουρῶσαι. atque ille mirum quantum delectatur hac verbi finiti traiectione. nam praeter alterum exemplum v. 497, quod Scheerius in programmate p. 5 attulit, vel maxime huc facit ex eodem carmine v. 90 sqq.

καὶ δή σε ναύτην ἀχερουσία τρίβος
καταιβάτις, πύγαγρον, οὐ πατρὸς κόρπους
στείβοντα ῥακτῶν βουσταθμῶν, ξενώσεται,
ὡς πρόσθε, κάλλους τὸν θυωρίτην τριπλαῖς,

quo loco *ξενώσεται* transpositum esse constat, cum verba *ὡς πρόσθε* ad participium *στείβοντα* pertineant. praeterea cf. Alphei Mytilenaei epigr. anth. Pal. IX 100, v. 3

οὔ νύ σε δειλαίην, μὰ τεοὺς, δέσποινα, βοήσω,
δαίμονας.

apud Romanorum poetas aetatis cultissimae similis in traiciendo verbo finito libertas hic illic occurrit, atque Ovidius summam sibi assumpsit licentiam. itaque vide, annon Lycophronis audaciam paene exaequent hi loci met. VIII 376 sq.

vulnera fecissent, nisi saetiger inter opacas,
nec iaculis isset nec equo loca pervia, silvas,

et XI 534 sqq.

trepidant haud secius omnes,
quam solet urbs aliis murum fodientibus extra
atque aliis murum trepidare tenentibus intus.

Corollarii loco semel hic, ut simul opera illa defungamur, extrema lineamenta adumbrare volumus earum traiectionum, in quibus Optatianus Porfyrius, quarti saeculi poeta, nimis sibi indulsit. huius enim carmina legentibus difficillima sunt intellectu, quod 'sensus rerum multis nugis obrutus' est, et vel maxime quia 'propter continuos illos litterarum et figurarum lusus' verba ipsa liberrime transposita sunt et ea orationis membra, quae cogitatione coniungi debent, aliis insertis divelluntur et inter se quasi permixta et confusa videntur. ut duobus exemplis, quibus intricata illa vocabulorum collocatio appareat, utar, conferas quaeso carminis XVIII v. 6 sq. (ed. Luc. Mueller)

vult curvo turmae felix sua comminus ictu,
Armenii dux ferre levis, sol, te quoque pila,

quorum verborum structura ita solvenda esse videtur 'Armenii levis dux, curvo turmae ictu felix, pila sua comminus te, sol, ferre vult'. atque aeque impedita est constructio in eiusdem carminis vv. 11 sq.

vincere florenti Latiales Sarmata ductu
rex tibi posse Getas viso dat limite, ultor.

hos versus cum Luciano Muellero ita explices 'dat tibi, ultor imperii Romani, rex Sarmata occasionem adito ditionis Romanae limite vincendi florenti ductu per milites Latiales Gothos'. sed tales vocabulorum transgressiones, quibus Optatianus solutissime usus est, a legitima audacia longius discedunt neque nisi ex studio illo carmina figurata condendi excusari possunt. atque commemorandum est exemplaria Graeca in eiusmodi lusibus poeticis maiorem sibi vindicare artem, quippe quibus non confugiendum fuerit ad similes verborum traiectiones difficillimas.

§ 10. De participiorum et quae ab illis reguntur vocabulorum hyperbato.

Si in lingua Graeca substantivo cum articulo adiunctum est participium, hoc saepe postponitur, cum ea orationis membra, quae a participio pendent, inter substantivum et articulum intercedant. cf. Thuc. I 11 sub fin. *καὶ τοῦ νῦν περὶ αὐτῶν διὰ τοὺς ποιητὰς λόγου κατεσχηκότος*. participium traiectum est, ut oratio insolentior atque hac ipsa insolentia sublimior evaderet et vocabulis a participio distractis gravitas simul accederet. Thucydides quidem hanc collocationem vehementer amabat; ut I, 90, § 1, alias. e poetarum sermone cf. Soph. Phil. 1316 sq. et El. 184; Onesten anth. Pal. VII 274, 3 sq. inverso autem ordine participium vel etiam adiectivum participii vicibus fungens primum locum occupat, interposito substantivo locatur illud, quod participio, unde aptum est, aut praecedere

aut proxime subsequi debebat; cf. Demosth. de corona § 287 *τὸν ἐφεστηκότα κίνδυνον τῇ πόλει.* et aliquam multa talia apud Thucydidem. e multitudine exemplorum exhibeo V 112 *τῇ μέχρι τοῦδε σωζούσῃ τύχῃ ἐκ τοῦ θείου αὐτήν* et I 102, 4. eodem in primis faciunt notabiles illi versus Arist. Nub. 379

ὁ δ' ἀναγκάζων ἐστί τίς αὐτάς, οὐχ ὁ Ζεύς, ὥστε φέρεσθαι;

ubi coniungendum est *τίς δ', οὐχ ὁ Ζεύς, ἐστι ὁ αὐτὰς ὥστε φέρεσθαι ἀναγκάζων*, et Theocr. II 8

ᾤχετ' ἔχων ὅ τ' Ἔρως ταχινὰς φρένας ἅ τ' Ἀφροδίτα.

non infructuosa erit comparatio consimilis traiectionis, quam Sophocles in infinitivi constructione adscivit O. C. 1228 sq.

τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει,
πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα.

illud enim *ὡς τάχιστα* cum *βῆναι* coniungendum est. atque e litteris Latinis conferendae sunt tales positiones Hor. carm. I 17, 27 *haerentem coronam crinibus*, Ov. met. XIII 922

nam modo ducebam ducentia retia pisces,

met. VII 155

somnus in ignotos oculos sibi venit.

neque dissimile est Horatii illud carm. I 5, 15 sq.

suspendisse potenti
vestimenta maris deo,

ubi genetivus 'maris' ab adiectivo 'potenti' pendens interposito obiecto segregatur[1]).

---

[1]) Eandem artificiosam verborum seriem detexisse sibi visus est Nauckius Hor. carm. I 37, 9 sq.

contaminato cum grege turpium
morbo virorum.

ablativum enim 'morbo' cum participio 'contaminatus' coniungi voluit. sed abdita dum curiosius scrutatur, ad ea, quae ante pedes sunt, non animadvertit et usus est iudicio prorsus solitario. nam recentiores quoad quidem vidi omnes 'morbo' a 'turpium' suspendunt et veteris scholiastae verba eandem constructionem aperte produnt, quae ab omni parte tuta et probabilis est.

Antiquarum linguarum studium graviora vocabula praeponendi etiam in participiorum constructione apud Graecos insolentiores traiectiones effecit. si enim participium cum articulo coniunctum est, ea orationis membra, quae a participio reguntur et e vulgari verborum ordine articulo et participio intercedere aut participio proxime subsequi debent, nonnunquam anteponuntur. huc pertinet verborum series tragicis usitatissima *πατήρ σ᾽ ὁ κτανών* Soph. O. C. 994, *μήτηρ σ᾽ ἡ τεκοῦσα;* vide Herwerdenum ad Eurip. Jon. 671, praeterea cf. Soph. Ai. 522

χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ᾽ ἀεί

et O. R. 1329 sq., Batrachom. v. 13 *τίς δέ σ᾽ ὁ φύσας;* plerumque hic ordo verborum causam habet rhetoricam, ut verbum pondere praevalens antepositum maiorem consequatur emphasin; aliquando autem numerus orationis vel suavior sonus vel etiam metrum talem collocationem gratam et acceptam reddidit. sic in Aiacis versu vides eiusdem vocabuli diversas formas hoc modo arte compositas esse. de sermone pedestri, in quo et ipso similes transgressiones passim occurrunt, vide Kruegerum I 50, 10, 1, Heindorfium ad Plat. Phaedonem p. 139. praeterea cf. simile exemplum Thuc. III 15 *καὶ τὴν ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσβολὴν τοῖς τε Συμμάχοις παροῦσι κατὰ τάχος ἔφραζον ἰέναι ἐς τὸν Ἰσθμὸν τοῖς δύο μέρεσιν ὡς ποιησόμενοι*, ubi verba *τὴν ἐς τὴν Ἀ. ἐσβ.* a participio *ὡς ποιησόμενοι* pendent. neque alia est ratio in infinitivo Soph. Trach. 65 sq.

σὲ πατρὸς οὕτω δαρὸν ἐξενωμένου
τὸ μὴ πυθέσθαι ποῦ ᾽στιν, αἰσχύνην φέρει,

quo loco *σέ*, quod articulo et infinitivo includendum erat, initio positum est, quia hunc potissimum illud agere oportebat. similis causa cognoscitur, ubi membrum aliquod, quod a substantivo cum articulo pendet et his vocabulis interponi debebat, libere praepositum est, ut apud Thucydidem I 133 *ἀλλὰ πίστιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ διδόντος τῆς ἀναστάσεως.*

Saepissime autem, quae a participio reguntur, praedicato dirimuntur, qua quidem traiectione nihil frequentius; cf. Plat. apol. p. 24 c *φησὶ γὰρ δὴ τοὺς νέους ἀδικεῖν με διαφθείροντα.*

huius collocationis causam qui recte intellegere voluerit, sententiam eum respicere oportet. omnis enuntiationis vis eo continetur, quod Socrates corrumpere adulescentes dicitur; itaque si memineris veteres, quidquid in sententia praevaleret, in initio aut fine orationis collocare, atque quidquid minus valeret, interponere et quasi occultare esse solitos, facile perspicies, qua de causa scriptor hyperbaton admiserit. at omnibus locis hoc modo traiectio participii explicari minime potest; multi extant loci, quibus nullam aliam causam fuisse dixeris, quam ut varietate atque artificio perfunderetur oratio. haud raro participium *ἔχων* a suo obiecto interposito praedicato seiungitur; cf. Thuc. I 9 *ἃ ἦλθεν ἐκ τῆς Ἀσίας ἔχων ἐς ἀνθρώπους ἀπόρους*. id autem maxime est animadvertendum, quanto intervallo haec orationis membra arte inter sese cohaerentia disiungantur. atque poetae hac in re peculiarem libertatem sibi vindicarunt. iam enim Homerus audacissime participium traiecit Od. XIII 399 sq.

ἀμφὶ δὲ λαῖφος
ἕσσω, ὅ κε στυγέῃσιν ἰδὼν ἄνθρωπος ἔχοντα.

cf. Pind. Pyth. II 25 sq.

ἐλθόντος γὰρ εὐνάσθη ξένου
λέκτροισιν ἀπ᾽ Ἀρκαδίας,

et Theocr. V 123

ἐνθὼν τὰν κυκλάμινον ὄρυσσέ νυν ἐς τὸν Ἄλεντα.

eis locis, quos commemoravimus, praedicatum maxima in sententia instructum esse vi facile percipies; attamen etiam vocabulis a participio suspensis, eo quod dissociata sunt, gravitas atque sublimis accentus tribuitur. ne forte lectorem ex longo tractu adnotationis fastidium capiat, simpliciter indicabo haec exempla. Aesch. Ag. 279 sq.

ἑκὰς δὲ φρυκτοῦ φῶς ἐπ᾽ Εὐρίπου ῥοὰς
Μεσσαπίου φύλαξι σημαίνει μολόν.

Coeph. 64 sq., Soph. Trach. 955 sqq., Eurip. Med. 473 sq.

ἐγώ τε γὰρ λέξασα κουφισθήσομαι
ψυχὴν κακῶς σε καὶ σὺ λυπήσει κλύων.

Apoll. Rhod. IV 1180 sq.

ἥρωας τε γυναῖκες ἀολλέες ἔκτοθι πύργων
βαῖνον ἐποψόμεναι.

eodem tendunt versus Soph. O. R. 31 sqq.

θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν σ' ἐγὼ
οὐδ' οἵδε παῖδες, ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι,
ἀνδρῶν τε πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου
κρίνοντες ἔν τε δαίμοσιν συναλλαγαῖς.

quo ultimo loco praedicatum magis occultatur, cum constructio participii summam sententiae contineat; quocirca collocatio verborum ad effectum rhetoricum conformatur, ut pugnantia secum (*θεοῖσι, ἀνδρῶν*) ineuntibus versibus inter se opponantur.

Si vero et ipsum verbum finitum cum obiecto aut vocibus quaecunque sunt coniunctum est, Graeci non raro praedicati participiique membra artificiose traiecerunt, ut hae duae constructiones in semet ipsas implicatae et contortae videantur. cf. Thuc. III 103 *ἀποστάντες αὐτοῖς ἀπὸ Συρακοσίων ξυνεπολέμουν*, Antiph. I 3 *ἐὰν ἐπιδείξω . . . μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ἤδη ληφθεῖσαν τὸν θάνατον ἐκείνου ἐπ' αὐτοφόρῳ μηχανωμένην.* atque si animadvertimus, quae verborum genera tali conformatione proxime composita aut longius seiuncta legantur ac simul eos locos respicimus, quos deinceps afferemus, in hac collocationis specie chiasmi quoddam studium deprehendimus; ea enim vocabula, quae sibi sunt paria i. e. verbum finitum et participium atque ex altera parte quae ab utroque pendent, chiasmi figura inter se sunt implexa et iugata. iam apud Homerum illius verborum ordinis exempla prostant; cf. Il. I 167 sq.

ἐγὼ δ' ὀλίγον τε φίλον τε
ἔρχομ' ἔχων ἐπὶ νῆας,

XII 388

ἰῷ ἐπεσσυμένον βάλε τείχεος ὑψηλοῖο.

vide Schnorr v. Carolsfeld p. 81. praeterea inspice Apoll. Rhod. IV 530

ὁππότε Πυθὼ
ἱρὴν πευσάμενος μετεκίαθε τῆσδ' ὕπερ αὐτῆς
ναυτιλίης

et Nonn. Dion. IV 224

ἐρωτοτόκῳ δὲ μερίμνῃ
μνώεο καὶ σὺ καμοῦσα ποθοβλήτοιο Σελήνης.

porro duos mihi considera locos haud indignos illos memoratu. Arist. Thesm. 811 sq.

οὐδ᾽ ἂν κλέψασα γυνὴ ζεύγει κατὰ πεντήκοντα τάλαντα
ἐς πόλιν ἔλθοι τῶν δημοσίων,

quae durior verborum traiectio ita est ordinanda οὐδ᾽ ἂν γυνὴ κατὰ πεντήκοντα τάλαντα τῶν δημοσίων κλέψασα ζεύγει ἐς πόλιν ἔλθοι; cum etiam attributum τῶν δημοσίων insolenter a nomine suo sit seiunctum, totius sententiae singulae partes perplexae et inter se mixtae sunt. alterum exemplum praebet Lycophro, qui omnino longius in hisce processit quam ullus alius ex ceteris qui aetatem tulerunt poetis Alexandrinis, Alex. v. 1172 sq.

δῆμος δ᾽ ἀνατεὶ τὸν κτανόντ᾽ ἐπαινέσει
τεθμῷ χαράξας τοὐπιλώβητον γένος,

ubi synchysis verborum, ut dicunt grammatici, scholio subveniente sic est solvenda δῆμος δὲ τὸν τὸ ἐπιλώβητον γένος κτανόντα ἐπαινέσει τεθμῷ χαράξας ἀνατεί scil. hoc civibus licitum esse.

Studium vero linguae Graecae illud, quod iam saepius observavimus, ut congruentia aequalitateque oratio perfunderetur et contraria iuxta posita magis elucerent vocabulaque parilia aut, quibus necessitudo quaedam intercederet, arte componerentur, hic quoque pulcras et artificiosas verborum traiectiones effecit; dico illam singulorum sententiae membrorum dispositionem, quam Naegelsbachius anaphoricam nominavit. orationis enim membrum, quod ad praedicatum sententiae pertinet, in participii constructionem ita transpositum est, ut verbum cum verbo, obiectum cum simili orationis parte consocietur. etiam in scriptorum sermone tale quid reperitur, raro licentius quam apud Thucydidem, qui in verbis transponendis poetarum saepe audaciam adaequat; cf. III 39 ἐζήτησαν μετὰ τῶν πολεμιωτάτων ἡμᾶς στάντες διαφθεῖραι; hoc enim loco quae sunt contraria, eo quod se excipiunt, magis exsplendescunt. similis

est alter Thucydidis locus IV 98 *τούς τε νεκροὺς πολὺ μειζόνως ἀντὶ τῶν ἱερῶν ἀξιοῦντας ἀποδιδόναι ἀσεβεῖν*, obiectum *τοὺς νεκροὺς*, quod ad participii constructionem pertinet, ea de causa traiectum et antepositum est, ut novam cogitationem inducens maiorem accentum consequeretur. ex Homeri carminibus nostram causam attingunt Il. II 795

τῷ μιν ἐεισαμένη μετέφη πόδας ὠκέα Ἶρις,

III 386

γρηΐ δέ μιν εἰκυῖα παλεγενέι προσέειπεν.

XIII 235

ἀλλ᾽ ἄγε τεύχεα δεῦρο λαβὼν ἴθι,

Od. IV 24

βῆ δ᾽ ἴμεν ἀγγελέων διὰ δώματα ποιμένι λαῶν.

vide Schnorr v. Carolsfeld p. 81. idem cernitur artificium h. Hom. I 2

ὅν τε θεοὶ κατὰ δῶμα Διὸς τρομέουσιν ἰόντα.

notabili autem audacia utitur Hesiodus theog. 793

ὅς κεν τὴν ἐπίορκον ἀπολείψας ἐπομόσσῃ
ἀθανάτων,

ubi coniungendum est *ὅς κεν ἀθανάτων τὴν* (i. e. *Στύγα*) *ἀπολείψας ἐπίορκον ἐπομόσσῃ*. dubiumne vero post haec cuiquam esse poterit, quin eadem ratione intellegendus sit alius eiusdem poetae locus, ubi de Hercule haec dicta leguntur, theog. v. 954 sq.,

ὄλβιος, ὃς μέγα ἔργον ἐν ἀθανάτοισιν ἀνύσσας
ναίει ἀπήμαντος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα —?

etsi verbum *ναίειν* eodem sensu, quo simplex *εἶναι*, saepius est usurpatum, a tragicis quidem et recentioribus poetis (cf. Meinekium ad Soph. O. C. p. 230 et Anal. Alex. p. 239), ita ut *ναίειν* nulla loci significatione addita per se ipsum poni possit, tamen simplicissime et rectissime verba explicaveris, si Heynium et Hermannum secutus *ἐν ἀθανάτοισιν* cum *ναίειν* coniunxeris. praeterea cf. Simonidis epigramma anth. Pal. VII 677, 1 sq.

ὅν ποτε Μῆδοι
Σπερχεῖον ποταμὸν κτεῖναν ἀμειψάμενοι

et Apoll. Rhod. I 40

Λάρισσαν δ᾽ ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανεν.

apud poetas Graecorum tragicos nonnunquam more Homerico (cf. Il. II 795, III 386) pronominis e verbo finito apti formae encliticae participio et quae ab eo reguntur, intercedunt, veluti Soph. Antig. 1273 sqq.

ἐν δ᾽ ἐμῷ κάρᾳ
τότ᾽ ἄρα τότε θεὸς μέγα βάρος μ᾽ ἔχων
ἔπαισεν.

quamquam haec verba Hermanno auctore ita construi possunt *μέγα βάρος μ᾽ ἔχων*, ut quasi esset *βαρυνόμενός μοι*, tamen quia ad verbum *ἔπαισεν* accusativum obiecti desidero, ad illud pronomen *μέ* referre malim. confer similem locum, quem Elmsleyus sine dubio recte correxit, Eurip. Iph. Taur. 679

προδοὺς σεσῶσθαί σ᾽ αὐτὸς εἰς οἴκοὺς μόνος.

G. Hermanno enim non adstipulor, cui haec coniectura displicuit 'maxime propter pronomen eo quo minime debuit loco positum'; contra neque consilium neque ars deesse mihi videtur, cum quae sunt sibi opposita (*προδούς* et *σεσῶσθαι, σέ* et *αὐτός*) iuxta collocata magis conspiciantur. denique ut huius consecutionis insolentiam exemplorum numero ipso sustentemus et vel reluctantes in sententiam nostram trahamus, apponimus Eurip. Ion. 293

καὶ πῶς ξένος σ᾽ ὢν ἔσχεν οὖσαν ἐγγενῆ;

et Bacch. 502

σὺ δ᾽ ἀσεβὴς αὐτὸν ὢν οὐκ εἰσορᾷς.

sed praeter pronomen aliae quoque partes, quae ad praedicatum spectant, participii constructioni apud poetas scenicos interponuntur, et vice versa, quae a participio apta sunt, praedicato et eius obiecto immiscentur. cf. Eurip. Bacch. 857

κόσμον ὅνπερ εἰς Ἅιδου λαβὼν
ἄπεισι,

et Arist. Plut. 204

εἰσδὺς γάρ ποτε
οὐκ εἶχεν εἰς τὴν οἰκίαν οὐδὲν λαβεῖν.

his locis comparatis causam non intellego, cur in Soph. Phil. 1002 sq.

κρᾶτ᾽ ἐμὸν τόδ᾽ αὐτίκα
πέτρᾳ πέτρας ἄνωθεν αἱμάξω πεσών

verba *πέτρᾳ πέτρας ἄνωθεν* recte sese habere negentur. *πέτρας ἄνωθεν* enim, quod cum participio *πεσών* coniungas, per hyperbaton transpositum est post *πέτρᾳ*, ut eiusdem vocabuli variae formae per adnominationem consocientur.

Maximam autem libertatem et audaciam in tali hyperbatorum genere illi loci sibi vindicant, ubi poeta verborum ordinem ita instituit, ut animum audientis legentisve in perversam constructionem trahere et quasi ludificari videatur. quam dispositionis rationem ne Aristophanem quidem refugisse valde est notabile. sic Eccl. 1049

αὕτη σύ, ποῖ παραβᾶσα τόνδε τὸν νόμον
ἕλκεις;

cave coniungas *παραβᾶσα τόνδε τὸν νόμον;* constructio enim est *ποῖ τόνδε ἕλκεις παραβᾶσα τὸν νόμον.* praeterea quis qui verba Ran. 1064 *τοῦτ᾽ οὖν ἔβλαψα τί δράσας* perceperit, protinus intelleget nec *τοῦτο* a verbo *ἔβλαψα* nec vero *τί* a participio *δράσας* pendere? nam etsi paulo ante (v. 1062) *τί δράσας*, ut erat consociatum, coniungere debebas, hoc tamen loco sic verba ordinanda sunt *τί οὖν ἔβλαψα τοῦτο δράσας.* praecipue vero epigrammatum scriptores hac traiectionis figura orationem obscuram et consulto absconditam reddere amabant. qua de re cf. Stratonis epigramma anth. Pal. XII 188

εἴ σε φιλῶν ἀδικῶ καὶ τοῦτο δοκεῖς ὕβριν εἶναι,
τὴν αὐτὴν κόλασιν καὶ σὺ φίλει με λαβών.

Jacobsio quidem perspicuitas orationis postulare videtur, ut verbis transpositis scribatur *τὴν αὐτὴν κόλασιν καὶ σὺ λαβών μέ φίλει;* sed haec ipsa sermonis obscuritas, quae aliis locis satis defenditur, consilio a Stratone quaesita nec metri necessitate extorta est. notandum quoque est, participium *λαβών* ut *ἔχων* ceteris frequentius traici, cum plerumque leviore pondere instructum esse soleat. similiter verba dissipata habes anth.

Pal. VII 703, 4 in Myrini epigrammate

φρουρεῖ δ' αὐτὸς ἑλὼν ποίμνια βάκτρον Ἔρως,

ubi *ποίμνια* ad *φρουρεῖ*, *βάκτρον* ad *ἑλών* pertinent. hic quoque minime metri ratio hyperbaton obscurum peperit, sed aliquod poetae studium orationis insolentius atque artificiosius conformandae cognoscas, cum verba ita, ut Peerlkampius traiectionem iniuria improbans correxit, constituere liceat

φρουρεῖ δ' αὐτὸς Ἔρως ποίμνια βάκτρον ἑλών.

congruenti ratione Leonidas Tarentinus orationis membra turbavit anth. Pal. VII 657, 1 sq.

ποιμένες, οἳ ταύτην ὄρεος ῥάχιν οἰοπολεῖτε,
αἶγας κεὐείρους ἐμβατέοντες ὄϊς.

ad hos versus veluti ad scopulum nonnulli hominum doctorum naufragium fecerunt, quod verba eo ordine quo posita sunt construebant. nempe explicarunt 'soli currite per montis iugum', in voce *ἐμβατέοντες* de pastoribus *αἰγιβάταις* cogitantes, aut codicis scripturam commutare sunt ausi. sed laterem plane lavant. facillime per hyperbaton hos versus interpretatus est Heckerus. participium enim *ἐμβατέοντες*, unde accusativus *ῥάχιν* aptus est, poeta traiecit atque ita lectoribus laqueos posuit, quasi *οἰοπολεῖτε* ad ea, quae praecedunt, pertineret; praedicatum autem *οἰοπολεῖτε* vertendum est 'pascite'. quod haec notio in verbo, ut est in substantivo, nullo alio exemplo comprobatur, dubitationem excitare non debet; alteram enim interpretationem si complecteremur, qua *ῥάχιν οἰοπολεῖτε* coniungendum est, simili modo prorsus singulariter a verbo *οἰοπολεῖν* accusativus penderet. at illud maxime est animadvertendum, hoc quoque loco non versiculi potius numerum poetam curasse quam orationis affectatam elegantiam, cum nullo ambiguitatis periculo et sine versuum detrimento, ut Heckerus iam indicavit, sententiam disponere potuisset

ποίμενες, οἳ ταύτην ὄρεος ῥάχιν ἐμβατέοντες
αἶγας κεὐείρους οἰοπολεῖτ' ὄϊας.

Ex eis, quae hoc capite disputavimus, plane apparet in lingua Graeca participii et eorum membrorum, quae a parti-

cipio reguntur, frequenter inveniri traiectiones satis difficiles. apud Latinos similia hyperbati genera perquam raro occurrunt, fortasse ea de causa, quod in Latinorum sermone participii constructio multo minus est frequentata. quamquam iam apud Plautum hanc libertatem admissam habes Mil. gl. III 1, 204

ne me surdum verberans fac auris,

ubi simplex verborum consecutio haec est 'ne me surdum fac verberans auris'. neque aliter conformati sunt Varronis Reatini versus (sat. Menipp. nr. 218, p. 185 Buecheler)

vosque in theatro, qui voluptatem auribus
huc aucupatum concucurristis domo,
adeste,

etsi illic participii vice fungitur suspinum. etiam posteriores Romanorum poetae, qui in universum quidem liberiores verborum collocationes maxime frequentarunt, in hoc genere pauca praebent exempla. cf. Prop. III 24 b, 31

qui nunc se in tumidum iactando venit honorem,

Ov. met. XIII 397

littera communis mediis pueroque viroque
inscripta est foliis.

hae certae sunt intricatae participiorum constructiones. de Ovidii versu her. V 59

votis ergo meis alii rediture redisti,

quamquam mihi diffidam, proferam tamen, quod mihi in mentem venit. coniungo 'votis meis rediture alii redisti' et 'votis meis' dictum esse pro 'mihi voventi' censeo. sed incertam esse sententiam non diffiteor neque graviter feram, si quis eam contempserit.

Placet subiungere brevem mentionem earum traiectionum, quae in absoluta participiorum constructione inveniuntur. ante omnia huc pertinet ea collocationis forma, qua subiectum verbi finiti, quod ex sententiae ratione etiam ad participium spectat, huic interponitur. quod cum pedestri quoque orationi proprium sit, accuratius tractare et exemplis illustrare omittam. maior autem audacia conspicitur illis locis, quibus inter participium absolutum et subiectum periodi nulla necessitudo intercedit, ut

Thuc. III 90, 4 *καὶ μετὰ τοῦτο ἐπελθόντων οἱ Μεσσήνιοι τῶν τε Ἀθηναίων καὶ τῶν ξυμμάχων προσεχώρησαν καὶ αὐτοί.* cf. Ov. met. XII 536 sqq.

haec inter Lapithas et semihomines Centauros
proelia Tlepolemus Pylio referente dolorem
praeteriti Alcidae tacito non pertulit ore.

etiam Plato hyperbato eius generis valde insolenti usus est Phaedr. p. 239 a *τοσούτων κακῶν καὶ ἔτι πλεόνων κατὰ τὴν διάνοιαν ἐραστὴν ἐρωμένῳ ἀνάγκη γιγνομένων τε καὶ φύσει ἐνόντων τῶν μὲν ἥδεσθαι, τὰ δε παρασκευάζειν ἢ στέρεσθαι τοῦ παραυτίκα ἡδέος.* verborum enim ordo traiectis *ἐραστὴν ἀνάγκη* paululum impeditior est factus; illud autem *ἐραστὴν* ante *ἐρομένῳ* transpositum est e nota illa linguarum antiquarum consuetudine, ut verba idem sonantia et aliquo modo sibi contraria iuxta posita acrius in aures cadant (vide Heindorfium a. h. l.). in poesi vero membra, quae ad constructionem participii absoluti pertinent, nonnunquam liberrime distracta et per alias sententiae partes audacissime discerpta inveniuntur. cf. Hor. epod. 1, 5 sq.

quid nos? quibus te vita sit superstite
iucunda, si contra gravis;

'vita sit' Meinekius, Peerlkampius, alii scripserunt pro 'vita si', constructionem magis dilucidam efficientes; quod autem verba 'vita sit' constructioni ablativi absoluti intercedunt, ea, quae sunt contraria, arte concurrunt. maxime Ovidius talem implicatam verborum seriem amavit; cf. her. XVI 96

excepto redii passa timore nihil;

et longissime processit idem met. VIII 733 *ab uno*

edidit haec rapta sceleratus verba securi.

itaque nihil habet quod reprehendas Diltheyi coniectura, quam in indice lectt. hib. Gott. 1884/85 p. 16. proposuit, versum depravatum nec dum a quoquam recte expeditum her. XIX 3 ita emendans

quo meus est ulla parte dolente dolor.

sententia est commodissima neque aliter omnino recto talo consistere potest et specie mutationis illud 'quo' veri est simillimum.

§ 11. De hyperbato enuntiati relativi.

Pronomen relativum ei vocabulo, quod accuratius definit, proxime subsequi e natura huius pronominis liquet. tamen haud ita raro enuntiatum relativum, quod inter aliam sententiam secundariam inclusum esse exspectes, liberius sublatum ante illam positum est. quae quidem libertas praesertim in Romanorum poetarum scenicorum oratione occurrit, ut facile colligere possis, hunc magis solutum sententiarum nexum vulgari sermoni ante omnia proprium esse. cf. Plaut. Trin. II 1, 16

nam qui amat quod amat quom extemplo eius
saviis perculsus est,
ilico res foras labitur, liquitur.

hoc autem loco oppositio, quae verbis 'qui amat quod amat' continetur, tali collocationi opportunitatem quandam attulisse videtur. praeterea apponam Men. IV 3, 12

quae commisi, ut me defrudes, ad eam rem adfectas
viam,

quod exemplum peculiarem structurae rationem habet: omittitur demonstrativum, cuius casus diversus a casu relativi supplendus, et Capt. I 2, 53

quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
quoi obtigerat postquam captus Philopolemus tuus,

quorum verborum Brixius iniuria sedem commutavit. similiter orationem conformavit Catullus 64, 326

sed vos, quae fata sequuntur,
currite ducentes subtegmina, currite fusi.

atque e lingua Graeca huc pertinent Eurip. Ion. 731

ὃ μὴ γένοιτο δ', εἴ τι τυγχάνοι κακόν,
εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς ἐμβλέψει γλυκύ,

et Diotimi epigramma anth. Pal. VII 261, 1 sq.

τί πλέον εἰς ὠδῖνα πονεῖν, τί δὲ τέκνα τεκέσθαι,
ἢ τέκοι, εἰ μέλλει παιδὸς ὁρᾶν θάνατον;

ubi verba *ἢ τέκοι*, ut magis efferantur, sententiae conditionali praefiguntur. alia quoque enuntiata minora nonnunquam eodem

modo collocantur in prisca Latinitate, cuius rei unum e multis, quae suppetunt, exemplis adiciam Plaut. Asin. I 3, 79

at ego est etiam prius quam abis quod volo loqui.

Deinde pronominis relativi, quo enuntiatum incohatur, etiam sic efficitur hyperbaton, ut non semper illud verbum, ad quod erat applicandum, proxime sequatur, sed saepe longiore spatio distractum postea subiungatur. qua de re cf. Plat. Crat. p. 434 a. *εἰ μὴ φύσει ὑπῆρχε φάρμακα ὅμοια ὄντα, ἐξ ὧν ξυντίθεται τὰ ζωγραφούμενα, ἐκείνοις, ἃ μιμεῖται ἡ γραφική*, ubi quod enuntiatum relativum longius est reservatum et repositum, contraria copulantur. plerumque vero poetarum sermo talem dispositionem admittit, ut Theocr. XXV 175 sq.

δέρμα δὲ θηρὸς ἀριφραδέως ἀγορεύει
χειρῶν καρτερὸν ἔργον, ὅ τοι περὶ πλεῦρα καλύπτει.

similiter appositio, quae enuntiati relativi loco posita est, sedem a natura sibi debitam non retinuit, sed a vocabulo, cui est addita, late recessit, raro licentius quam in Lycophr. Al. 452 sqq.

οὑμὸς ξύναιμος, ὡς ὀπατρίου φονεὺς
πώλου, νόθον φίτυμα, συγγενῶν βλάβη,
τοῦ λύσσαν ἐν ποίμναισιν αἰχμητηρίαν
χέαντος,

ubi verba *τοῦ χέαντος* post nomen *πώλου* erant collocanda. levem quandam cum Lycophronis oratione similitudinis speciem agnoscimus in Homerico sermone Il. XI 241 sqq.

ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον,
οἰκτρος, ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου, ἀστοῖσιν ἀρήγων,
κουριδίης, ἧς οὔτι χάριν ἴδε, πολλὰ δ' ἔδωκε.

duo illa membra *ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου* et *ἀστοῖσιν ἀρήγων* parilia sunt, cum epitheton *οἰκτρος* accuratius explicent; relativum autem pronomen cum attributo *κουριδίης* a substantivo suo seiunctum est interposito altero membro, ne haec orationis pars *ἀστοῖσιν ἀρήγων* ad finem reposita nimis frigide et otiose addita esse videretur. atque Plautus parem fere libertatem adscivit Men. V 6, 7

recordetur id
qui nihili sunt quid is preti
detur ab suis eris,
ignavis improbis viris,

quo loco appositio pertinet ad pronomen 'is' (i. e. eis), non ad substantivum proxime ante dictum 'eris'. qua cum collocatione aliud eiusdem poetae exemplum conferendum est Asin. I 1, 50

omnes parentes, Libane, liberis suis,
qui mihi auscultabunt, facient obsequiam.

enuntiatum enim relativum cum obscuritate sententiae paululum est repositum, ita ut consuetum verborum ordinem secutus pronomen relativum ad vocem 'liberis' referas, quamquam id ad 'parentes' pertinere sententia aperte clamat. complura exempla, quibus Plautus similiter enuntiatum relativum liberiore usu traiecit, congessit Vahlenus in Hermae vol. XVII p. 615. atque e comicorum Graecorum sermone placet subiungere comparem structuram Arist. Nub. 1148 sq.

καί μοι τὸν υἱόν, εἰ μεμάθηκε τὸν λόγον
ἐκεῖνον, εἴφ', ὃν ἀρτίως εἰσήγαγες,

ubi leviter legentibus etiam pronomen demonstrativum ἐκεῖνον difficultatem augere potest; quippe relativum ὃν adnectendum est accusativo τὸν υἱόν.

Videmur autem nobis veniam impetraturi esse, si hoc loco quasi in tramitem deflectentes collocationis genus persequimur, quod nescio an rectius ex hac parte exclusuri fuerimus. nam in exemplis quae sequuntur, non tam relativum (vel participium) transponitur quam vocabulum sive vocabula inter relativum et verbum illud, ad quod spectat relativum, insolenter interposita. verum enimvero, quoniam variatio delectat, oblata occasione non incommode utentes subnectemus, quae cum prioribus non artiore affinitate cohaerent. si duo aut complura substantiva per particulam copulativam sunt coniuncta, quae pronomen relativum numero singulari sequitur, illud ad extremum nomen referendum esse ex communis grammatices et naturae legibus manifestum est. attamen extant loci non-

nulli, quibus inter substantivum eiusque pronomen relativum alterum nomen interponitur, ita ut enuntiatio relativa ad remotius vocabulum spectet. qua de re cf. Hom. Il. XIII 623

ἄλλης μὲν λώβης τε καὶ αἴσχεος οὐκ ἐπιδευεῖς,
ἣν ἐμὲ λωβήσασθε,

Od. II 284 sq.

οὐδέ τι ἴσασιν θάνατον καὶ κῆρα μέλαιναν,
ὃς δή σφι σχεδόν ἐστιν, ἐπ᾽ ἤματι πάντας ὀλέσθαι,

Il. V 172; Eurip. Heracl. 957

ἀλλ᾽ εὗρες ἄνδρας καὶ πόλισμ᾽ ἐλεύθερον,
οἵ σ᾽ οὐκ ἴσασιν.

consule Kruegerum II 58, 3, 3. neque prosaici scriptores ab hac solutiore collocatione se abstinuerunt, cf. Kruegerum I 58, 3, 9, Cic. epp. ad fam. V 21, 5 *tu si me diligis, fruere isto otio tibique persuade praeter culpam et peccatum, qua semper caruisti et carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile et pertimescendum.* omnibus illis, quos modo commemoravimus, locis gravior, ut ita dicam, notio et quae maximam vim contineat, primum locum occupat, eique pronomen relativum applicatur, quamquam concedere debemus, insertum quoque alterum substantivum sententia relativa aliquo modo comprehendi. quod quidem clare apparet in Euripidis frg. 529 Nauck. v. 4 sq.

ἐκ γὰρ πατρὸς καὶ μητρὸς ὅστις ἐκπονεῖ
σκληρὰς διαίτας οἱ γονοὶ βελτίονες,

non opus est coniectura πατρὸς καὶ μητρὸς ἐκπονουμένων; ad patrem enim, ut ad partem graviorem, pronomen relativum est accommodatum. similes fere ratio illis locis conspicitur, quibus participium duobus substantivis commune priori est adaptatum. cf. Iubae epigr. append. anth. Pal. 41, 5 sq., epigr. 870, 7, Kaibel, Heliod. Aethiop. I 22 et Iacobsium ad anth. Pal. vol. IV p. 899.

Ab his autem levioribus, a quibus ne prosa quidem abhorret, longiore fine distant ea graviora exempla, quibus membrum interpositum omnino non pertinet ad pronomen rela-

tivum et ne cogitatione quidem in enuntiatione secundaria supplendum est. cf. anth. Pal. XI 411, 1 sq.

τοῦτο πυρὰν μᾶλλον κλῄζειν δεῖ, κοὐ βαλανεῖον,
ἥν ποθ᾽ ὁ Πηλείδης ἧψε Μενοιτιάδῃ.

sed illic orationis structura minus est difficilis, quod negatione interposita facile sentias, alterum substantivum cum particula καί coniunctum per parenthesin quasi esse inductum. quae quidem ratio non valet in Lycophr. vv. 253 sqq., ubi Cassandra de Troiae expugnatione haec vaticinatur

οἰμωγὴ δέ μοι
ἐν ὠσὶ πύργων ἐξ ἄκρων ἰνδάλλεται,
πρὸς αἰθέρος κυροῦσα νηνέμους ἕδρας,
γόῳ γυναικῶν καὶ καταρραγαῖς πέπλων,
ἄλλην ἐπ᾽ ἄλλῃ συμφορὰν δεδεγμένων.

participium δεδεγμένων, quod enuntiati relativi fungitur munere, respicit solam vocem γυναικῶν. insolentioris autem collocationis inde petas excusationem, quod etiam ad verba καταρραγαῖς πέπλων genetivus γυναικῶν animo suppleri potest. perinsigne deinde ac singulare est hyperbaton pronominis relativi in epigrammate Pancratis anth. Pal. VI 117

ἐκ πυρὸς ὁ ῥαιστὴρ καὶ ὁ καρκίνος ἥ τε πυράγρη
ἄγκειν θ᾽ Ἡφαίστῳ, δῶρα Πολυκράτεος,
ᾧ πυκνὸν κροτέων ὑπὲρ ἄκμονος εὕρετο παισὶν
ὄλβον, ὀϊζυρὴν ὠσάμενος πενίην.

pronomen ᾧ ad primum substantivum pertinet duobus aliis interpositis; 'malleo enim Polycrates frequenter pulsans super incudem liberis suis invenit opes' [1]).

1) Quid de loco Catulliano 68, 68 sq., difficillimo illo et fortasse depravato iudicem, anceps haereo. in librorum autem scriptura

isque domum nobis isque dedit dominam,
ad quam communes exerceremus amores,

non offendit verborum collocatio. nam enuntiatum relativum ad remotius nomen 'domum' relatum, quod verba 'communes amores' haud dubie suadent, post exempla allata excusatione non indiget; cf. etiam Leonidae Tarentini illud VII 302, 7 sq.

σπεύδων εἰς ἄλλους οἴκους ἴθι· τἀμὰ δὲ λιτά·
ὧν ἀπὸ πλειοτέρην οἴσεαι ἁρμαλίην,

Satis vero difficilis et impedita evenit constructio, si substantiva sunt nomina propria, ita ut e sententiarum conexu solum intellegi possit, quocum pronomen relativum sit coniungendum. huc in primis facit illustris ille Musaei locus in carmine de Herone et Leandro v. 4

καὶ Σηστὸν καὶ Ἄβυδον, ὅπη γάμος ἔννυχος Ἡρους,

ubi *ὅπη* ad priorem vocem *Σηστόν* est referendum, quod illic virginis nuptiae celebrabantur. Ludwichius si hanc liberiorem, sed vere poeticam collocationem intellexisset, coniecturam tacuisset illam, quam profert in annal. phil. 1876. p. 751. nimirum nodum secare quam solvere maluit. atqui eum dedocere poterat Schraderus, qui non solum iam recte versum explicaverat, sed etiam compar geminumque Vergilii exemplum comparaverat Aen. III 167

hinc Dardanus ortus
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum,

ad quod scite Servius adnotat *a quo, non ab Iasio, sed Dardano, nam anteriori respondet.* itaque id vocabulum, quod pondere suo praevalet, priorem obtinet locum atque ei pronomen relativum applicatur. exspectaveris fortasse, cum Musaeus Nonni, quamquam non solius, tamen quam maxime orationem artemque imitatus sit, apud Nonnum quoque simile quid inveniri; tamen in huius poetae Dionysiacorum carminibus nihil repperi, quod ad praesentem causam conducere videretur. circumspicienti autem locum aliquem e simili genere petitum, quem Musaeum in exemplum sibi sumpsisse suspicari liceat, sese offerunt Iliadis versus II 870 sqq.

τῶν μὲν ἄρ᾽ Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην,
Νάστης Ἀμφίμαχός τε, Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα,
ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πολεμόνδ᾽ ἴεν, ἠύτε κούρη.

quamquam duo illa nomina propria, Nastes et Amphimachus,

---

quamquam hoc aliquanto lenius. sed dubitationem inicit 'ad quam', quod vereor ut recte dicatur pro 'in qua' (cf. v. 156). praeterea sententia 'isque dedit dominam' me movet, ne locum incorruptum putem. Froehlichius proposuit 'dominae' et Schoellius haud male scribendum esse coniecit 'ut clam'.

hoc tantum loco extant, quapropter certe diiudicari nequit, utri pronomen *ὅς* sit adiungendum, tamen quod versibus 867 et 870 collatis Nastes primas partes agere videtur, cum editoribus enuntiatum relativum ad illum, non ad Amphimachum vel Nomiona, recte referas. itaque Aristarchum errasse iudicabimus, quem pronomen *ὅς* Amphimacho adiunxisse docet scholion codicis Veneti A Dind. I p. 135 *ἡ δὲ διπλῆ]* *ὅτι ἐπὶ τοῦ Ἀμφιμάχου ἐστὶ τὸ ὅς καὶ χρυσὸν ἔχων, ὁ δὲ Σιμωνίδης ἐπὶ τοῦ Νάστου λέγει.* Simonidem vero versus non legisse idem scholion indicare videtur, quare L. Muellerus philol. XI p. 175 sq., quem Nauckius in editione sua secutus est, eos tanquam spurios eiecit. attamen Musaeus quidem locum eodem modo scriptum legit, quo nobis est traditus. praeterea inspice Bergkium poet. lyr. III^4 p. 527 ad Simonidis frg. 214. omnino autem Musaei et Vergilii loci non sunt diversi ab aliis exemplis collocationis illius, quam dicunt *διὰ μέσου.*

§ 12. De verbis in enuntiatum alterum transpositis.

Nihil est, quod huic disputationis meae parti praemuniam, nisi illud, de hoc hyperbati genere in universum egisse Lehmannum, de Graecae linguae transpositione, Gedani 1832, et nonnulla ad Romanorum litteras pertinentia adumbrasse Kruegerum, die Attraction in der lat. Spr. Brunsw. 1827 p. 131 sqq. sed ut huic provinciae operam ab illis viris partim iam adhibitam nunc impenderem de integro, in primis hoc me movebat, quod multa habere mihi videbar, quae, utpote ab eorum consilio aliena, adderem nova, et ea graviora quidem et insolentiora. deinde omnino alia ratione linguarum veterum proprietas nobis erit consideranda.

Atque primum quidem id traiectionis genus perlustrabo, quo membrum sententiae secundariae in primariam transpositum est. subiectum secundariae enuntiationis in primariam transponere, ita ut huius fiat obiectum, vulgarissimus est usus Graecorum. quod quidem nihil inusitati habet, si

primariae enuntiationis obiectum cum verbo finito iam integram sententiam efficit. sic enim de traiectione omnino non est cogitandum. insignis vero fit huiusmodi conformatio, si enuntiatum secundarium summam sententiae, de qua maxime agitur, continet neque deesse debet, ut Hom. Il. V 85

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,

Od. IV 832, alias.' hoc autem traiectionis genere et singula enuntiata artius inter se copulantur et, quod in sententia praevalet, acrius in aures cadit. neque vulgaris Graecorum sermo a tali elocutione abhorret; cf. Arist. Ran. 431, Eccles. 1125, Lehmannum p. 18 sqq. animadvertendum autem est, plerumque apud verba dicendi et sentiendi hanc consuetudinem inveniri. multo deinceps audacior et difficilior est collocatio, ubi verbum sententiae primariae, cui subiectum secundariae applicanda est, accusativum obiecti omnino non patitur.' cf. Pind. Ol. X 1 sqq.

τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι
Ἀρχεστράτου παῖδα πόθι φρενὸς
ἐμᾶς γέγραπται.

quamquam verbo *ἀνάγνωτε* accusativus personae proprie non debet subiungi, tamen nomen proprium ex enuntiato secundario ob vim sententiae sublatum et primo loco positum primarii factum est obiectum. proxime ad similitudinem accedit Eurip. Hipp. 1250 sq.

ἀτὰρ τοσοῦτον οὐ δυνήσομαί ποτε
τὸν σὸν πιθέσθαι παῖδ' ὅπως ἐστὶν κακός.

interdum hoc pacto verba arto vinculo inter se coniuncta seiunguntur, ut attributum solum transponatur, cum substantivum in sententia secundaria remaneat, veluti Eurip. Herc. fur. 840 *ὡς ἂν* . . . . .

γνῷ μὲν τὸν Ἥρας οἷός ἐστ' αὐτῷ χόλος.

fortasse etiam Soph. Trach. 98 probanda est lectio

Ἅλιον, Ἅλιον αἰτῶ
τοῦτο καρῦξαι τὸν Ἀλκμήνας πόθι μοι πόθι παῖς
ναίει ποτ'.

codices melioris notae exhibent scripturam *πόθι μοι πόθι μοι παῖς*. dubitare licet, utrum *παῖς* an alterum *μοί* sit delendum;

tamen cum illud μοί facile a librario iterari potuerit, Dindorfium secutus πόθι παῖς scribere malim, nam simplex πόθι ad anaphoram satis magnam vim habet.

Etiam in lingua Latina subiectum enuntiati minoris, ut primarii fiat obiectum, satis frequenter transponitur, eaque dicendi ratio praecipue vulgari sermoni convenit. cf. Ter. Adelph. V 4, 20

illum ut vivat optant omnes,

Plaut. Pers. III 1, 54

necessitate me mala ut fiam facis,

Cic. ad Qu. fr. II 156, 2 *haec me ut confidam faciunt.* e priscorum Latinorum litteris complura exempla collegit Holtzius synt. prisc. lat. p. 222 sqq.[1]) in posteriorum autem poetarum oratione perpolita tales traiectiones raro reperiuntur; nonnunquam liberiore utuntur constructione, ut Ov. trist. IV 58

Laodamia nihil cur referatur erit,

ubi nomen proprium, ut magis eluceret, ex enuntiato secundario transpositum primo versus loco collocatum est. sed et antiquiores hanc magis solutam structuram usurparunt, ut subiectum transpositum verbo finito non accommodarent. cf. Ter. Andr. I 2, 4 sq.

et eri semper lenitas
verebar quorsum evaderet,

ubi construas 'et semper verebar, quorsum eri lenitas evaderet'.

Praeter subiectum alia quoque sententiae secundariae vocabula in primariam traiciuntur; atque eadem omnium communis est causa, ut singulae voces in periodi initio positae emphasin

---

[1]) Quam hoc capite diximus transpositionem vel traiectionem, alii attractionem appellant; transponitur verbum, quod, si logicam rationem respicis, enuntiatum in se recipere non debebat, et attrahitur simul ab eodem, in quod traiectum est. itaque et attractionem hanc loquendi formam vocare possumus. at haec appellatio etiam in eos locos quadrat, quibus sine ulla distractione orationis aliquod membrum ab alio attrahitur.

quandam exerceant et enuntiationes ipsae artius nectantur inque unam quodammodo confundantur. Lehmannus l. d. p. 9 in eiusmodi collocationibus simplicissimam primariae sententiae transpositionem intellegendam esse contendit; at mihi talis dicendi forma hic potius afferenda esse videtur, quod omnibus illis exemplis particula, qua enuntiatum secundarium incohatur, cum suo praedicato verbum primarii, unde aptum est alterum, sequitur. itaque quas dico traiectiones, quibus secundariae enuntiationis vocabula sublata e constructionis nexu primariae anteponuntur, ab illis segregandae sunt, quibus re vera sententiae primariae verba enuntiato minori includuntur. sed ea, quam statuo, distinctio, subtilis certe et non magni pretii, nihil aliud nisi locum defendat, quo haec exempla sum perlustraturus; nam quocunque modo rem intellegas, causa et effectus figurae sibi constant neque libertas linguarum antiquarum in verbis transponendis minus clare apparet.

Si obiectum enuntiati minoris in primarium transgreditur, nullam hoc dicendi genus habet difficultatem, ubi verbum finitum cum membro illo construi potest. sic locutus est Pseudo-Phocylides v. 17 Bergk.

ψεύδορκον στυγέει θεὸς ἄμβροτος ὅστις ὀμόσσῃ.

comparari licet Hom. Od. VIII 230

οἴοισιν δείδοικα ποσίν, μή τίς με παρέλθῃ

et Il. II 348 sq.

πρὶν καὶ Διὸς αἰγιόχοιο
γνώμεναι εἴτε ψεῦδος ὑπόσχεσις ἦε καὶ οὐχί.

neque scriptorum sermo tales collocationes repudiavit. aliquanto vero insolentius Demosthenes verborum ordinem constituit Olynth. III 32 *ταῦτα, μὰ τὴν Δήμητρ', οὐκ ἂν θαυμάσαιμι εἰ μείζων εἰπόντι μοι γένοιτο παρ' ὑμῶν βλάβη τῶν πεποιηκότων αὐτὰ γενέσθαι*, ubi *ταῦτα*, quod ad *εἰπόντι* pertinet, propter vim suam et gravitatem toti periodo est praepositum. difficilior autem est structura et maior licentia agnoscenda, si verbum sententiae primariae accusativum vel obiectum e grammatica ratione refugit. quare notabile est illud Apoll. Rhod. I 165 sq.

ἀλλ' ὁ μὲν ἤδη
γηράσκοντ' Ἀλεὸν λίπετ' ἄμ' πόλιν ὄφρα κομίζοι,

ubi nomen viri maiore cum pondere praecedit. cf. hymni in Cererem, cuius Athenaeus VI 253 c mentionem facit (Bergk. poet. lyr. inter carm. popul. 46) versus 5 sq.

χὴ μὲν (sc. Δημήτηρ) τὰ σεμνὰ τῆς Κόρης μυστήρια
ἔρχεθ' ἵνα ποιήσῃ.

subtilius poetae consilium cernitur Arist. Vesp. 859 sqq.

ἐγράψατο
κύων Κυδαθηναιεὺς Λάβητ' Αἰξωνία
τὸν τυρὸν ἀδικεῖν ὅτι μόνος κατήσθιεν
τὸν Σικελικόν.

accusativus τὸν τυρόν ita transpositus est ante verbum ἀδικεῖν, unde sententia per copulam ὅτι incohata pendet, ut primo conspectu ad illud referendus esse videatur; tamen ἀδικεῖν hoc loco absolute positum atque τὸν τυρόν cum κατήσθιεν coniungendum est. qua verborum serie ridiculum illud, quod sententia per se sola continet, aliquo modo augetur. non uno autem nomine audacissima est vocabulorum dispositio, quam Callimachus adscivit frg. 306

μή με τὸν ἐν Δωδῶνι λέγοι μόνον οὕνεκα χάλκον
ἤγειρον,

quo loco et attributum et substantivum hoc traiectionis genere disiuncta sunt. ex G. Hermanni sententia etiam praedicatum secundariae enuntiationis transpositum esse puto in primariam, ita ut ad eius obiectum sit applicatum, Aesch. Sept. 19 sq.

ἐθρέψατ' οἰκιστῆρας ἀσπιδηφόρους
πίστους ὅπως γένοισθε πρὸς χρέος τόδε,

i. e. ὅπως γένοισθε πιστοὶ πρὸς χρέος τόδε. obloquitur quidem Lehmannus p. 27, cui nonnulli editores adstipulantur. verum mihi probatur Hermanni opinio et Plautini complures loci tam insigniter Aeschyleo conveniunt, ut hanc transpositionem satis confirmare videantur; Poen. II 1, 5 *nec potui tamen propitiam Venerem facere uti esset mihi*, Epid. IV

2, 36 *exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.* plura vide infra.

De aliis enuntiatorum minorum membris in primariis collocatis cf. Plat. legg. I 4 p. 628 a *νόμους δὲ αὐτοῖς θεὶς πρὸς ἀλλήλους παραφυλάττειν ὥστε εἶναι φίλους*, ubi *πρὸς ἀλλήλους* coniungi opportet cum *φίλους εἶναι*[1]). Aesch. Ag. 1193

καὶ τῶν δ' ὅμοιον εἴ τι μὴ πείθω,

Eurip. Hipp. 374 sq.

ἤδη ποτ' ἄλλους νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ,
θνητῶν ἐφρόντισ' ᾗ διέφθαρται βίος.

multo difficiliorem explicatum propter ambiguitatem structurae habet Pindari locus Pyth. I 75 sqq.

ἀρέομαι
παρ' μὲν Σαλαμῖνος Ἀθηναίων χάριν
μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,
ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι,
παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον
Δεινομένους τελέσαιμ'
ὃν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Dissenium secutus iunxerim *παρὰ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα* non cum *τελέσαιμι* (hanc scripturam Bergkius proposuit), sed cum verbis *ὃν ἐδέξαντο* i. e. 'ad Himeram quem meruere'; aut potius coniungas cum genetivo absoluto *πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.* recte enim Dissenius animadvertit 'petitur quidem laus ex illis locis, solvitur autem ibi, ubi Dinominis filii sunt, ut Spartanorum laus canitur Spartae, non ad Cithaeronem'. haec vero transgressio facta est, ut verba magis efferantur et vocabulis contrariis (*πρὸ Κιθαιρῶνος*) gravius opponantur.

Ad similem quam disceptamus orationis conformationem redit etiam ea constructionis figura, qua verbum finitum aut alia brevis sententia, e quibus enuntiatum secundarium aptum

---

[1]) Similis est traiectio legg. III p. 693 c *καὶ ἄλλα δὴ πολλὰ ὑμᾶς ἂν γίγνεται μὴ διαταρρατέτω*, ubi *ὑμᾶς* a verbo *διαταρρατέττω* pendet. quamquam hoc loco potius contendas, *ὑμᾶς* in enuntiatum secundarium e primario esse transgressum.

est, quod ipsum summam sententiae vim continet, parenthesis modo interponitur. huc igitur spectant formulae illae, quae plane adverbiorum vim habent, *δῆλον ὅτι, φανερὸν ὅτι, ἔστιν ὅς*, alia; cf. Lehmannum p. 9 sq. neque solutae orationi talis structura est ignota neque omnino quidquam habet quod lectorem impediat. notabilis vero est Sophoclis locus Ai. 600 sq.

ἐγὼ δ' ὁ τλάμων παλαιὸς ἀφ' οὗ χρόνος
Ἰδᾴδι μίμνων χειμῶνι πόᾳ τε μηνῶν
ἀνάριθμος αἰὲν εὐνῶμαι,

ubi verborum ordo ita est institutus, ut partes enuntiati primarii per secundarium simul distractae sint. cf. Dion. Cass. hist. rom. XLV 38 *πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν Καίσαρα μέν, ἄρτι γε ἐκ παίδων προεληλυθότα καὶ οὐ πολὺς ἐξ οὗ χρόνος ἐς τοὺς ἐφήβους ἐγγεγραμμένον.* saepissime autem *οἶδ' ὅτι* interpositum invenitur; cf. Callim. epigr. 42, 5 (anth. Pal. XII 73), anth. Plan. 260, 4, Lehmannum p. 10 sq. quam formulam plane in adverbii vim abiisse comprobant ea exempla, quibus sub finem periodi traiecta est, Soph. Ai. 276

πάρειμι δ' ἄκων οὐχ ἑκοῦσιν, οἶδ' ὅτι,

Arist. Thesm. 12, Lys. 154, Nub. 1174 sq. complura, quae enumerare longum est, vide apud Lehmannum p. 11 sq. unum autem exemplum, quod illic frustra requires, commemoratione non est indignum, Callim. epigr. 29 (anth. Pal. IX 507)

οὐ τὸν ἀοιδῶν
ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο,

ubi Bentleius ad interpositum *ὀκνέω μή* Latinum 'haud scio an' apte comparavit; proprie autem est 'cunctor an non dicere debeam' (cf. Jacobsium ad anth. Pal. IV p. 581).

Pergimus hinc ad litteras Latinas, in quibus et ipsis praeter subiectum alia verba, quorum maxima vis est, ex enuntiato secundario in primariam traiciuntur. ita obiectum transpositum est Plaut. Trin. I 2, 50

qui tu id prohibere me potes ne suspicer

et Prop. II 3, 33

hac ego nunc mirer si flagret nostra iuventus?

insolentior est structura, ubi in sententia primaria nihil est, quo obiectum secundariae referatur, veluti Lucr. IV 1119

nec reperire malum id possunt quae machina vincat,

ubi accusativus 'malum id' non ad verbum 'reperire', sed ad alterum 'vincat' pertinet atque simul aliud genus transpositionis occurrit, de quo deinceps sermo erit. in Ovidii loco trist. I 3, 101 sq.

vivat et absentem (quoniam sic fata tulerunt)
vivat ut auxilio sublevet usque suo,

inusitata verborum series causam habet in poetae cogitatione; nam cum initio orationem ita fere conformare vellet 'vivat et absentem auxilio suo sublevet', post inserta verba 'quoniam sic fata tulerunt' in concitati animi affectu illud 'vivat' repetiit et constructionem aliquo modo deflexit. quae structura tantum abest ut aliquid duri habeat, ut orationem reddat fortiorem et efficaciorem, siquidem anaphora vocabulo 'vivat' bis in versus initio posito auribus melius percipiatur. aliud poetae consilium apertum illud, ut in oculos ultro incurrat, cernitur Ov. trist. II 567, ad quem versum inspice Merkeli notam, qui primus coniectura assecutus est quod liber Laurentianus solus praebet

inter tot populi, tot scriptis, milia nostri
quem mea Calliope, laeserit, unus ego.

vide Tankii de tristibus Ovidii recensendis dissertationem Gryphiswaldensem (1879) p. 51. e sermone pedestri, qui et idem similes traiectiones usurpavit cf. Cic. Cat. I 2 *verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, nondum adducor ut faciam;* Sall. Cat. 7, 3, Iug. 40, 3, Cic. Phil. II 5, 11 *quis autem meum consulatum praeter P. Clodium qui vituperaret inventus est.* plura exempla comparata habes apud Naegelsbachium Lat. Stil. p. 416 sq. notandum autem est hyperbaton, quod Plautus admisit, Mil. gl. IV 7, 18

iamdudum res parata es. i, Palaestrio.
aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia
duc adiutores tecum ad navem qui ferant.

Ritschelius et Brixius versus 19 et 20 locum mutare voluerunt, sed quam illi destruebant formam, ea egregie nobis commen-

datur. quippe optime significat vocabulorum consecutio turbatum et valde commotum loquentis animum, cum structura sententiae aliter incepta, aliter deinde continuata sit. similem causam in aliis exemplis Plautinis reperies, quae in proximo capite afferam. interdum etiam attributum et substantivum hac ratione seiunguntur; exempla sunt Plaut. Trin. prol. 20 sq.

nunc hoc vos rogat,
ut liceat possidere hanc nomen fabulam,

ubi pronomen 'hoc' cum vi praepositum vides, et Prop. III 34, 73

felix intactum Corydon qui temptat Alexin;

adiectivum 'intactum' e sententia relativa traiectum est inter membra enuntiati primarii, ita ut attributa et substantiva artificiose contorta et implicata appareant. porro et ipsum praedicatum enuntiati minoris transpositum est Plaut. Amph. II 2, 81

appellare itidem ut pudicae suos viros quae sunt solent,

et Lucr. V 177

natus enim debet quicunque est velle manere
in vita,

ubi poeta verba sic disponere potuit 'debet enim natus quicunque est velle manere', sed eo quo usus est ordine oratio multo et vividior existit et gravior. per eandem traiectionem explicandus est alius Plauti locus Mil. gl. IV 2, 52

deus dignior fuit quisquam homo qui esset?

comma, quod Brixius post 'homo' posuit, delendum atque coniungendum est 'quisquam homo dignior fuit qui deus esset'. praedicatum enim enuntiationis secundariae, ut maximum haberet accentum, poeta toti periodo praeposuit. denique variae sententiarum minorum partes transpositae inveniuntur in primarias, veluti Plaut. Men. V 8, 2

postquam advorsum mi imperavi ut huc venires,

Prop. III 17, 9

durius in terris nihil est quod vivat amante.

cf. Priapea 29 v. 1 sq., Ov. ex P. II 17 sq. huc etiam pertinet Verg. ecl. II 12 sq.

at mecum raucis tua dum vestigia lustro
sole sub ardenti resonant arbusta cicadis;

'mecum' enim construendum est cum verbis 'tua dum vestigia lustro'. insignis vero audaciae exemplum prostat Ov. met. XV 7 sq.

huius amor curae, patria Curibusque relictis,
fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem,

ubi constructio ablativi absoluti enuntiato secundario includenda erat. neque alienae sunt a lingua Latina formulae illae mediae orationi interpositae adverbiorum fere vim induentes, ut 'mirum quantum, nescio quis, haud scio an', similia. cuius rei duo ex innumeris, quae suppetunt, exemplis adiciam Plaut. Asin. I 3, 79 et Ter. Eun. I 2, 64 sq.

Transeo nunc ad ea hyperbati genera, quibus enuntiationis primariae verba transgrediuntur in secundariam; quae quidem figura in linguis antiquis non minus est usitata quam altera modo tractata. itaque ut a simili specie, a qua supra exorsi sumus, hic quoque incipiamus, primum nobis agendum est de transpositione substantivi in sententiam relativam; haec et maxime pervulgata et facillima est explicatu. si substantivum ponitur in enuntiato relativo periodum incipienti, nulla omnino traiectio est intellegenda, cum illud e communi consuetudine liceat; ea igitur exempla sunt respicienda, ubi sententia primaria antecedit. iam Homerum hanc loquendi rationem adhibuisse docet versus Il. XVII 640

εἴη δ᾽ ὅς τις ἑταῖρος ἀπαγγείλειε τάχιστα.

praeterea cf. Eurip. Hipp. 388, Med. 1339, Arist. Ran. 1217; Lobeckium ad Soph. Aiac. ed. alt. p. 354 et 424 sqq., atque de scriptorum sermone Kruegerum I 15, 12. hac orationis forma duas sententias artius inter se coniungi et in unam quodammodo coalescere manifestum est; hic illic etiam causa rhetorica vel metrum tales collocationes suadebat. difficilior autem est traiectio, si nomen proprium, quod in enuntiato primario ponendum erat, a sententia relativa attrahitur. cf. Eurip. Or. 1184, Callim. h. IV 156

οὐδ᾽ ἥτις Κέρκυρα φιλοξεινωτάτη ἀλλέων,

Prop. III 33, 3 sq.

atque utinam pereat Nilo quae sacra tepente
misit matronis Inachis Ausoniis,

Ov. met. VII 59 sq., X 66 sq. eiusmodi satis artificiosa dispositio cognoscenda est in epigrammate sepulcrali, quod Kaibelus p. 37 exhibet (nr. 110) et secundo fere saeculo p. Chr. n. adscribendum est, ubi inde a v. 3 haec leguntur

οὔνομά μοι Κορνο[ῦτος ἔην], πατρὶς ἔνθεν ἵκ[ανον
Προ]υσιάς, ὅς δ' ἔτεκεν . . . . με πατήρ.

mutila et quae temporum iniuria evanida sunt, ut Kaibelus exhibet, descripsi; lacunam autem, quam reliqui et punctis significavi, nomine patris explendam esse clare apparet, ita ut non ineleganter alterum enuntiatum amplectatur alterum. valde etiam mireris, quod cum ipso articulo substantivum transpositum est Soph. Ant. 404

ταύτην γ' ἰδὼν θάπτουσαν ὃν σὺ τὸν νεκρὸν
ἀπεῖπας,

quocum loco conferas Plat. Theaet. 167 b. deinde attributum et substantivum, ut priore traiectionis genere, sic hoc quoque distrahuntur Eurip. Hec. 770

πρὸς ἄνδρ' ὃς ἄρχει τῆσδε Πολυμήστωρ χθονός.

attributum ita solitarium factum maiore cum vi pronuntiatur. cf. Porson ad Eurip. Or. p. 128, Demosth. de corona § 66 πᾶν ὅτι βουλευθείη μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, Plat. apol. 20 e τῆς γὰρ ἐμῆς ει δή τίς ἐστι σοφία καὶ οἵα μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι τὸν θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς, quo loco postremo sententia secundaria a particula dependens, sed enuntiato relativo consimilis, substantivum primariae recepit. ad hunc collocationis usum etiam spectat Eurip. Hec. 486 sq.

πρῶτον μὲν εἰπέ παῖδ' ὃν ἐξ ἐμῆς χερὸς
Πολύδωρον ἔκ τε πατρὸς ἐν δόμοις ἔχεις
εἰ ζῇ,

ubi simul duo transpositionis genera concurrunt. saepe ab hominibus doctis Theocriti locus comparatus est id VII 50 sq.

κἤγω μὲν ὅρη φίλος εἴ τοι ἀρέσκει
τοῦθ' ὅτι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνησα.

omnis vocabulorum dispositio, quamquam neglegentiam simulat, tamen non sine aperto consilio est admissa. refert enim fortuiti sermonis naturam, qui ad accuratam rationis normam non est diductus. praeterea aliquo modo *κατὰ σύνεσιν* verba sunt collocata, cum quae pondere et gravitate praeniteant, etiam positu distinguantur. constructio autem haec est *καὶ ὅρη, φίλος, εἴ τοι ἀρέσκει τοῦτο τὸ μελύδριον ὅτι ἐγὼ ἐξεπόνησα*[1]. at exempla allata peculiari audacia superat Euripides Ion. 1307

τὴν σὴν ὅπου σοι μητέρ' ἐστι νουθέτει,

ubi substantivum ab attributo seiunctum et in enuntiatum relativum traiectum eius constructioni non est accommodatum, quod per metri rationem non licuit.

In Latinorum lingua traiectio substantivi in enuntiatum relativum similiter frequentata neque artioribus finibus coercita est. ita Ter. Andr. prol. 3

populo ut placerent quas fecisset fabulas,

cf. Kuehneri gr. lat. II 2, p. 824, Nipperdeyi opusc. p. 117, Prop. IV 9, 55 sq.

interdicta viris metuenda lege piatur
quae se summota vindicat ara casa.

interdum singularis causa hanc transpositionem effecit, ut Plaut. Trin. IV 3, 62.

hem quis est qui mentionem homo hominis fecit optumi?

alliteratio et studium varias eiusdem vocis formas iuxta ponendi

---

[1]) Non recte Zieglerus verborum structuram intellexit, cum vocabula *ὅρη φίλος εἴ τοι ἀρέσκει* ut parenthesin includeret; nam si haec verba deleveris, constructio enuntiati constare non potest, cum quae re vera parenthesis est, etiamsi auferas, tamen omnia recte consistere debeant. pronomen *ἐγώ*, quod ad enuntiatum relativum pertinet, antepositum est, ut fortius evaderet haec sententia 'ego quoque carmen composui'. qua de collocatione cf. locum supra iam indicatum Plaut. Asin. I 3, 79

at ego est etiam priusquam abis quod volo loqui

et Ter. Heaut. V 4, 9.

illud 'homo' ante 'hominis' collocare persuasit. inveniuntur etiam permulta exempla, quibus attributum et substantivum hoc pacto diducuntur; cf. Plaut. Capt. I 2, 76 sq., Hor. epod. 2, 37, Ov. am. II 2, 3 sq., fast. IV 13; Liv. XXI 29, 6 *cum eo qui primus se obtulisset Romanus exercitus.* aliquo modo insolentior est traiectio Hor. carm. I 22, 17 sq.

pone me pigris ubi nulla campis
arbor aestiva recreatur aura.

illud autem difficile et maxime inusitatum hyperbaton, quo substantivum in enuntiatum relativum ita transpositum est, ut ad pronominis formam accurate se non applicet et componat, poetas solum recentiores admisisse video. sic locutus est Ovidius am. III 5, 13 sq.

candidior quod adhuc spumis stridentibus albet
et modo siccatam, lacte, relinquit ovem,

et her. X 110

illic, qui silices, Thesea, vincat, habes.

Adnectam nonnulla, quae affinitate quadam cum eis, de quibus agebam, coniuncta sunt. si enim orationis aliquod membrum sententiae primariae et secundariae commune est, id passim in secundaria solum ponitur, unde ad primariam animo est repetendum, veluti Theocr. VII 4 sq.

δύο τέκνα Λυκωπέος εἴ τί περ ἐσθλὸν
χρῄων τῶν ἐπάνωθεν,

ubi construas ἐσθλόν τι εἴ τί περ ἐσθλόν ἐστι χρῄων. illud igitur ἐσθλόν τι attractionè quadam sententiae minori est adiunctum, quam verborum dispositionem alii ad figuram ἀπὸ κοινοῦ referunt. conferas aliud exemplum huic prorsus compar Theocr. XVI 4. deinde subiectum, quod et in sententiam primariam et secundariam quadrat, a poetis aliquando posteriori tribuitur, cum ex communi grammatica in priore sedem habere debeat, ut in Lucillii epigrammate anth. Pal. XI 190

τὸν δασὺν Ἑρμογένην ζητεῖ πόθεν ἄρξεθ' ὁ κουρεὺς
κείρειν τὴν κεφαλήν, ὅνθ' ὅλον ὡς κεφαλήν,

et Hor. carm. I 15, 3 sqq.

ingrata celeres obruit otio
ventos ut caneret fera
Nereus fata,

ubi Nerei nomen cum emphasi strophae initio praefigitur. cf. etiam Verg. Aen. XII 641, Georg. III 387. iniuria igitur Baehrensius in Tib. III 1, 11 sq. offendit

summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
indicet ut nomen littera facta meum.

mutavit enim librorum scripturam 'chartae' in nominativum 'charta', quo quidem constructio facilior fit intellectu, sed minus poetica et inusitata, cum hanc insolentiam consulto Lygdamus quaesivisse videatur, ut elegantiam et varietatem consequeretur. eodem faciunt Tib. I 1, 17 sq.

pomosisque ruber custos ponatur in agris
terreat ut saeva falce Priapus aves,

Ov. her. V 111

et minus est in te, quam summa pondus arista,

ibid. X 45

quid potius facerent quam me mea lumina flerent.

At eo unde proxime degressi sumus revertamur. non solum substantivum, quod sententia relativa explicatur, sed etiam attributum in enuntiatum secundarium traicitur. cf. Thuc. II 48 *καὶ τὰς αἰτίας ἅστινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσαι σχεῖν*, Demosth. III 36. et ipse Homerus tale quid ausus est Il. XIII 711 sq.

ἀγκὰς δ' ἀλλήλων λαβέτην χερσὶ στιβαρῇσιν
ὡς ὅτ' ἀμείβοντες, τούς τε κλυτὸς ἤραρε τέκτων,
δώματος ὑψηλοῖο, βίας ἀνέμων ἀλεείνων.

genetivus *δώματος ὑψηλοῖο*, qui ad substantivum *ἀμείβοντες* pertinet, ita inter enuntiatum relativum transpositum est, ut duo versus 713 membra accurate respondeant duobus alteris versus maxime antecedentis. haud longe abest, quamquam omni difficultate caret, Aeschyli illud Coeph. 164

οὐκ ἔστιν ὅστις πλὴν ἐμοῦ κείραιτό νιν,

ubi πλὴν ἐμοῦ proprie ad οὐκ ἔστιν spectat, transpositione autem graviorem accipit accentum.

Aeschyli exemplum iam transitum faciat ad novam quaestionem, quae accuratius est examinanda. quoniam in eis quae hucusque disputavimus sententia relativa fere sola nos tenuit occupatos, nunc illas traiectiones diligentius contemplemur, quae in quibuscunque sententiis secundariis sive a coniunctione vel particula sive a pronomine aliquo incipientibus reperiuntur. qua in orationis conformatione id maxime est animadvertendum, quali pondere praedita sint vocabula traiecta. causae autem huius hyperbati generis variae esse possunt, et quamquam multis locis nulla alia ratio reddi potest quam metri necessitas, tamen pro viribus meis effectum eiusmodi traiectionis nonnullis exemplis illustrare conabor. primum affero Sophoclis locum O. C. 874

ἄξω βίᾳ, κεἰ μοῦνός εἰμι, τόνδε, καὶ χρόνῳ βραδύς.

obiectum verbi primarii (τόνδε) in constructionem secundarii enuntiati interpositum est, ut loquentis agitatio animi ordine quoque verborum permixto pingatur. ut enim, affectu aliquo qui commovetur, semper a recta loquendi via aberrat et animi perturbatione huc illuc tractus legitimam verborum seriem immutat, sic hoc loco Sophocles magna cum arte naturam imitatus Creontem verborum structuram turbantem fecit. confer similem transgressionem eadem de causa usurpatam Aesch. Pers. 351 sq.

τίνες κατῆρξαν, πότερον Ἕλληνες, μάχης,
ἢ παῖς ἐμὸς πλήθει καταυχήσας νεῶν;

et in re obscoena Arist. Nub. 295. magnopere vero est mirandum, quod tales transpositiones, de quibus hoc loco nobis est agendum, ne a prosa quidem Graecorum oratione prorsus sunt ablegandae; at rarissime occurrunt. sic Plat. legg. II p. 669 b τὸν μέλλοντα ἔμφρονα κριτὴν ἔσεσθαι δεῖ ταῦτα τρία ἔχειν, ὅτι ἐστὶ πρῶτον γιγνώσκειν, ἔπειθα ὡς ὀρθῶς, ἔπειθ᾽ ὡς εὖ τὸ τρίτον εἴργασται, per hyperbaton τὸ τρίτον positum est pro ἔπειτα τὸ τρίτον ὡς εὖ εἴργασται[1]). haud dissimilis est

[1]) Hoc loco agnoscas aliquam illaboratae orationis affectationem.

Aristophanis versus Nub. 788

τίς ἦν ἐν ᾗ ματτόμεθα μέντοι τἄλφιτα;

angustias et difficultates loquentis exprimit traiectio particulae *μέντοι*, quae e sententiae ratione cum *τίς ἦν* erat coniungenda. in universum igitur poetae soli tantam audaciam et libertatem sibi permiserunt recentioresque saepius eam adsciverunt quam antiqui. cf. Philodemi epigr. anth. Pal. V 112, 5 sq.

καὶ παίζειν ὅτε καιρὸς, ἐπαίξαμεν· ἡνίκα καὶ νῦν
οὐκέτι, λωϊτέρης φροντίδος ἁψόμεθα.

cum adverbio *νῦν* etiam particula copulativa transposita est; nam *καί* respondet alteri *καί* in initio versus collocato et iungendum est *καὶ νῦν ἡνίκα οὐκέτι* scil. *καιρός ἐστιν*. egregie huc facit Galliani epigr. anth. Pal. XI 130, 5

'θηρὶ μὲν οὐατόεντι' γενοίμην, εἴ ποτε γράψω,
εἴκελος, 'ἐκ ποταμῶν χλωρὰ χελιδόνια',

ubi poeta aperte respicit Callimachi locum, cuius memoria alias quoque servata est, cf. frg. 320 Schn., vide Meinekii Anal. Alex. p. 284. eodem modo in constructionem infinitivi, qui pendet a verbo primario, substantivum enuntiati primarii traiectum legitur Mosch. IV 85

οὐ γὰρ θὴν νεμεσητὸν ὑπὲρ τέκνου γοάασθαι
μητέρι δυσπαθέοντος.

dativus *μητέρι* aptus est a *νεμεσητόν* et magna cum vi, quod in eo grave sententiae pondus versatur, initio versus ponitur. comparari potest Maecii epigr. anth. Pal. V 133

ὤμοσ' ἐγὼ δύο νύκτας ἀφ' Ἡδυλίου, Κυθέρεια,
σὸν κράτος ἡσυχάσειν.

neque Romanorum poetae a simili dispositionis insolentia abstinuerunt, immo partim cupide eam arripuerunt. sed a minutissimis ordiamur. sic adverbium transpositum est Lucr. I 758

quorum utrumque quid a vero iam distet habebis.

---

compara, si habet aliquid utilitatis, ut talem dispositionem mirari desinas, e Theotiscis litteris Waltherum nostrum p. 10, 28 Lachm. et Hartm. Iw. 1671.

quocum cf. Ov. remed. 641

nec si scire voles, quid agat, tamen, illa, rogabis[1]),

met. VI 239, trist. II 239 sq.

at si quod mallem, vacuus fortasse fuisses
nullum legisses crimen in Arte mea,

ubi 'fortasse' pertinet ad 'legisses'. his locis certe metrum, quod aliter versus constare non poterat, traiectionem effecit. contra singularem causam valuisse verisimile est Ov. art. III 521 sq.

credere vix videor, cum cogor credere partu,
vos ego cum vestris concubuisse viris.

nam hoc loco studium illud Ovidii pronomina sibi invicem opponendi ad transpositionem pronominis 'ego' invitabat. iam errori vix obnoxii erimus ad similem rationem referentes Plaut. Mil. gl. II 2, 89 sq.

eam arguam vidisse apud te contra conservum meum
cum suo amatore amplexantem atque osculantem

adverbium 'contra' enim, quod ad verbum finitum 'arguam' pertinet, eam ob causam in constructionem accusativi cum infinitivo traductum esse videtur, ut alliteratio primarum syllabarum in vocibus 'contra conservum' acrius perciperetur. in primis Augustae aetatis poetae haud raro insolentissime duorum enuntiatorum verba dissiparunt, veluti Ov. her. XI 36

quaque suum poterat voce rogabat avum.

adiectivum 'suum' sententiae secundariae ita immixtum est, ut attributa et substantiva per versum pentametrum locata sint secundum formulam Ovidio maxime frequentatam. illa autem

---

[1]) Quoniam quae exhibemus exempla e sententiarum conexu sublata primo obtutu difficile intelleguntur, gratiam fortasse inibimus a lectore, quod in his similibusque omnibus fere eis signis usi sumus, quibus nos hodie solemus duarum enuntiationum membra distinguere. apparet tamen id in eiusmodi orationis forma, qua coniunguntur quae proprie distinenda erant, minime recte fieri. quare non nisi perspicuitatis causa nos orationem ita interpungere volumus declarare.

consuetudo ad versus conformandos commoditatem exhibens substantivo eiusque attributo hemistichia concludendi traiectionem effecit Ov. ex P. III 1, 21 sq.

non avis obloquitur silvis, nisi siqua, remotis,
aequoreas rauco gutture potat aquas,

et Tib. IV 10, 5 sq.

solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris,
ne cedam ignoto, maxima causa, toro.

cf. etiam Hor. carm. III 14, 21 sq.

dic et argutae properet Neaerae
murreum modo cohibere crinem,

ubi verborum quoque dispositione properatio exprimitur. alia exempla vide in capite de substantivorum et attributorum hyperbato. extant nonnulli Propertii et Ovidii loci, qui eadem traiectionis specie prorsus sibi sunt compares. quare considera mihi Prop. I 6, 8

et queritur nullos esse relicta deos.

participium 'relicta' in structuram accusativi cum infinitivo dure admodum transgreditur. neque ovum ovo similius est quam ad formam orationis hi loci Ovidiani heroid. I 8

non quererer tardos ire relicta dies,

III 66 *et videam puppes ire relicta tuas,*

XII 132 *pro quo sum totiens esse coacta nocens.*

cum hac verborum collocatione, quae pentametri versus exitui commoditatem aliquam afferebat, recte etiam comparaveris Prop. IV 15, 22

invocet Antiope quem nisi vincta Iovem,

et Ov. met. IX 707

neque erat facti nisi conscia nutrix.

omnino autem Ovidius in hoc de quo agimus traiectionis genere vincit audacia ceteros e poetis cognatis. praeter exempla allata cf. ex P. III 3, 72

scis aliud quod te laeserit esse magis,

met. I 222

experiar, deus hic, discrimine aperto,
an sit mortalis,

ubi quod interpositis verbis 'discrimine aperto' contraria longius distrahuntur, ea ipsa acuuntur atque tota oratio alacrior et significantior evadit. illud vero maxime est insigne, quod iam in antiqua Romanorum poesi, praesertim apud Plautum, haec licentia passim invenitur. qua de re cf. Plaut. Mil. gl. IV 3, 37 sq.

ut quidem
dixi esse vobis dudum hunc moechum militem;

verba 'vobis dudum' pertinent ad verbum finitum 'dixi'. atque haud dispari genere distincta sunt haec Aul. I 2, 23

nam non est verisimile hominem pauperem
pauxillum parvi facere quin nummum petat,

ubi construendum est 'pauxillum nummorum parvi facere quin petat', et Mil. gl. II 4, 37

nam arguere in somnis me meus familiaris visust
me cum alieno adulescentulo, quasi nunc tu, esse osculatam,

quo loco brevis illa sententia 'quasi nunc tu (scil. arguis)', quae verbis 'arguere visust' adiungenda erat, libere transposita est in sententiam secundariam[1]). his locis comparatis non dubito eandem hyperbati speciem cum Brixio intellegere Plaut. Pseud. III 2, 11 sq.

sed quor sedebas in foro, si eras coquos,
tu solus praeter alios.

---

1) Similiter Horatius brevem enuntiationem secundariam a loco sibi debito removit aliique orationis membro interposuit carm. IV 12, 26

nigrorumque memor dum licet ignium
misce stultitiam consiliis brevem;

nam verba 'dum licet' proprie ad verbum finitum 'misce' pertinent et per hyperbaton immixta sunt alteri membro, quod ab adiectivo 'memor' participii vices agenti pendet. cf. carm. II 11, 16, ubi 'dum licet' eadem ratione insertum est. haec autem verba eo, quod ex inopinato repente inferuntur, aurem acrius feriunt et lectorem ad animi attentionem provocant.

quae verba in hunc modum coniungenda esse censeo 'quor sedebas in foro tu solus, si eras coquos praeter alios'. nam e tota coqui illius oratione (ante omnia cf. v. 783) apparet eum optimum se esse coquum adversus Ballionem in foro fuisse gloriantem; itaque oportet hanc procedere sententiam 'si eras coquos praestantissimus'. quae quidem evadit, si eo quo dixi modo verborum ordinem dissolvas. illa autem libertas, quam apud Plautum modo cognovimus, cum e facultate linguae Latinae verba liberius disponendi, tum e cottidiani sermonis natura, cui quaedam neglegentia in vocabulorum ordine propria est, emanavit. quippe in vulgi genere eloquendi non dominatur severior illa excultae orationis ratio, sed in ipso demum pronuntiando consummatur cogitatio.

At nondum telam pertexuimus, sed relicuum adhuc est, quod consulto hucusque reposuimus, ut videamus, quaenam liberiores verbi finiti traiectiones a poetis sint adscitae. atque primum quidem illud exquisitius loquendi genus attingam, quo verbum finitum, quod duabus sententiis, et primariae et secundariae, commune est, non primariae antecedenti, ut vulgo fit, sed cum quadam elegantia sequenti secundariae est accommodatum. huc spectant Eurip. Or. 1043

σὺ νῦν μ' ἀδελφέ, μή τις Ἀργείων κτάνῃ

et Theogn. 541 sq.

δειμαίνω, μὴ τήνδε πόλιν Πολυπαΐδη ὕβρις
ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους ὄλεσεν,

ubi vide Bergkii notam. his quoque in exemplis attractionem intellegere licet, ut in illo genere supra commemorato. praeterea cf. Theocr. V 28, XII 8 sq., Democharin anth. Pal. IX 633, 1 sq., Porson. ad Eurip. Or. 1035, Kruegerum I 63, 1, 4; Schneideri Callim. I p. 231. e poesi Latina speciminis loco adscribam Ov. her. XVII 107 sq.

non magis illius numerari gaudia noctis,
Hellespontiaci quam maris alga potest.

sed insignis audacia in huiusmodi collocationibus non est agnoscenda, cum etiam scriptores eas, quamquam raro, usurparint,

veluti Seneca ep. 115, 3 *nemo illam amabilem, qui non simul venerabilem diceret.* adiungam alia exempla, quibus verbum finitum in sententiam secundariam, quae comparationem continet, transpositum est; quod hyperbati genus maiorem quidem libertatem sibi vindicat, quia verbum enuntiato, in quo positum est, non est adaptatum, sed primarii structurae formam retinuit. huc referre possis eos locos, quos § 9 commemoravimus, ut Mosch. IV 45 σὺ δ' ἠύτε λείβεαι ὕδωρ, cum illud ἠύτε ὕδωρ sit sententia secundaria in artum coacta. magis haec ratio est perspicua his locis Apoll. Rhod. III 1390 sq.

αἵματι δ' ὁλκοὶ
ἠύτε κρηναῖαι ἀμάραι πλήθοντο ῥοῇσιν,

Cat. 64, 328 sqq.

haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
aerium nivei montis liquere cacumen.

similiter Hor. carm. IV 4, 42 sqq.; vide Hauptii op. II p. 77 sq.

Infinitivi vel accusativi cum infinitivo constructioni verbum finitum vel praedicatum, unde illa pendet, saepe interponi satis est notum neque exemplis indiget. attamen poetae aliqua ex parte scriptorum consuetudinem excedunt. sic Aesch. Ag. 459

μίμνει δ' ἀκοῦσαί τί μου
μέριμνα νυκτηρεφές

et Soph. O. R. 863 sqq.

εἴ μοι ξυνείη φέροντι
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων
ἔργων τε πάντων.

haec duo exempla inter se sunt comparia et gemina, nisi quod in Sophoclis loco participium infinitivi vices sustinuit. similem habes transpositionem Eurip. Hel. 188 sq. atque ut ex Ovidio proponam quae collecta habeo, cf. ex P. II 3, 67 sq.

tum tua me primum solari littera coepit
et laesum flecti spem dare posse deum

et art. III 551

a doctis pretium scelus est sperare poetis.

et Ovidius hac quoque in re licenter admodum evagatur neque scio an ultus alius poetarum qui aetatem tulerunt audaciam superet versuum am. I 7, 15 sq.

talis periuri promissaque velaque Thesei
flevit praecipites Cressa tulisse notos.

ubi autem sententia secundaria e verbis sentiendi vel declarandi suspensa a particula incipit, aliquo modo difficilius transponitur verbum finitum, neque tale hyperbaton comparet nisi apud poetas. cf. Soph. O. R. 1251

χὤπως μὲν ἐκ τῶνδ᾽ οὐκέτ᾽ οἶδ᾽ ἀπόλλυται,

Electr. 689; Eurip. Or. 600

ἀλλ᾽ ὡς μὲν οὐκ εὖ μὴ λέγ᾽ εἴργασται τάδε,

Eurip. Heracl. 205. sq.

σοὶ δ᾽ ὡς ἀνάγκη τούσδε βούλομαι φράσαι
σῴζειν.

cf. etiam v. 214 sq., 719. in Aeschyli tragoediis haec traiectionis species non invenitur; sed poetis recentioribus, Alexandrinis maxime, in deliciis fuisse videtur, cum saepissime ea utantur. huc igitur tendunt Theocr. XXIX 3

κἤγω μέν τὰ φρενῶν ἐρέω κέατ᾽ ἐν μυχῷ,

Callim. epigr. 44, 1 sqq. (anth. Pal. XII 134) et frg. 445 (Schn. II p. 612) *οὐδ᾽ ὅθεν οἶδεν ὁδεύει θνητὸς ἀνήρ*, ubi hac transgressione duo enuntiata inter se implicata et haud mediocriter conglutinata videntur. praeterea inspice Callim. frg. 471

οἵ δ᾽ ἕνεκ᾽ Εὐρυνόμη Τιτηνιὰς εἶπον ἔτικτε,

Agathiam anth. Pal. V 287, 1; Schneideri Callim. I p. 429, Schmidtium Mus. Rhen. 1871 p. 180. eodem etiam pertinet Theocr. XXII 64

ἄργυρος ἢ τίς ὁ μίσθος, ἐρεῖς, ᾧ κέν σε πίθοιμεν,

ubi verbum transpositum est inter duas sententias secundarias, quarum una apta est ex altera. sed praeter dicendi et sentiendi verba alia quoque primariae sententiae hyperbato immiscentur secundariae. ita Soph. O. R. 644 sq.

μή νῦν ὀναίμην, ἀλλ᾽ ἀραῖος, εἴ σέ τι
δέδρακ᾽, ὀλοίμην, ὧν ἐπαιτιᾷ με δρᾶν

magnus orationi accedit vigor, cum vocabula arte cohaerentia seiunctione vehementius efferantur et pronuntientur. posteriores hac transpositione saepius uti consueverunt, cum vocabulorum libere disponendorum facultas versui commoditatem et elocutioni quandam quaesitam elegantiam praeberet. cf. Nicand. Ther. 190 sqq.

ἰχνεύμων δ᾽ ἄρα μοῦνος ἀκήριος ἀσπίδος ὁρμὴν
ἠμὲν ὅτ᾽ ἐς μόθον εἶσιν, ἀλεύεται, ἠδ᾽ ὅτε λυγρὰ
θαλπούσης ὄφιος κηριτρόφου ὤεα γαίῃ
πάντα διεσκήνιψε,

anth. Plan. 145

οἵαν δέ σε Βάκχος ἐραστὰς
εἶδεν ὑπὲρ πέτρας, ἔξεσε, κεκλιμέναν[1]),

Nonn. Dion. XX 378 sq.

Λευκοθέης ἔχε δῶμα βαθύρροον, εἰσόκε πόντου
καί σε καὶ ὃν καλέουσι, μεταστήσω, Μελικέρτην,

quo loco extremo nomen proprium cum vi in versus exitu positum est. at ne totum quidem enuntiatum aut verbum finitum cum suo obiecto sententiae minori includere illi poetae reformidarunt. tali ratione Nicander structuram conformavit Alex. 115 sq.

μὴ μέν, κανθαρίδος σιτηβόρου εὖτ᾽ ἂν ὀδώδῃ,
κεῖνο ποτὸν δέξαιτο, χυτῇ ἐναλίγκια πίσσῃ.

quousque autem processerint, illustrat Lycophronis locus Alex. 1431 sqq.

αὖθις παλιμπλώτοιο γεύσεται φυγῆς,
μόσσυνα φηγότευκτον, ὡς λυκοψίαν
κόρη κνεφαίαν, ἄγχι παμφαλώμενος,
χαλκηλάτῳ κνώδοντι δειματουμένη.

---

[1]) In epigrammatis anth. Pal. IX 400, fortasse Palladae Alexandrini versibus 1 sq.

ὅταν βλέπω σε, προσκυνῶ, καὶ τοὺς λόγους
τῆς παρθένου τὸν οἶκον ἀστρεῖον βλέπων

Brunckius 'ad *λόγους* ex verbo *βλέπω* per zeugma addito verbum *ἀκούω* assumendum' esse censuit, ita ut *προσκυνῶ* traiectum esset. sed de constructione non satis constare videtur; aliter Bothius cum Grotio, aliter ceteri haec verba iunxerunt.

quorum verborum perplexam dispositionem recte solvit scholiastes. impedit quidem hoc modo poeta orationis intellectum, simul distrahendo acuit singulas orationis partes sententiarum et quoddam artificium appetivisse videtur, cum hoc hyperbaton e quadripartito illo genere sit, cuius luculenta exempla in transpositione nominum et attributorum deprehendimus (vide etiam Scheerii commentationem saepius citatam p. 8). iam aditum patere puto ad perspiciendam orationis conformationem, qua Apollonius Rhodius est usus IV 1445 sqq.

αὐτὰρ ὅγ' ἄμφω χεῖρε πέδῳ καὶ στερνὸν ἐρείσας
ῥωγάδος ἐκ πέτρης πίεν ἄσπετον, ὄφρα βαθεῖαν
νηδύν, φορβάδι ἶσος ἐπιπροπεσών, ἐκορέσθη.

verba illa *φορβάδι ἶσος ἐπιπροπεσών*, quoad sensum, sedem in primaria sententia habere debebant, sed transposita sunt in enuntiatum secundarium, e quo cogitatione sunt tollenda.

Verum iure meritoque hic a me postulabis, ut in carmina Homerica inquiram, num iam in eorum sermone similis verborum consecutionis, quae nostram causam attingit, libertas sese offerat. quod autem huc apte adducatur exemplum, de eo dissident hominum doctorum opiniones. in Il. XX inde a v. 463 haec extant

ὁ μὲν ἀντίος ἤλυθε γούνων
εἴ πώς εὖ πεφίδοιτο λαβὼν καὶ ζωὸν ἀφείη.

Wolfius et Spitznerus hyperbaton statuerunt iungentes *γούνων λαβών, εἴ πώς εὖ πεφίδοιτο*, ut verbum enuntiato secundario esset insertum. saepissime quidem in Homeri carminibus formula *γούνων λαβών* adhibetur (cf. Il. I 407, 500; VI 45, XXI 71, Od. X 264), sed mirum aliquo modo est, quod hoc uno loco talis traiectio reperitur. deinde obstare videtur, quod tempus verbi *λαβών* ad illud *ἀντίος ἤλυθε* non recte quadrat; genua enim demum amplexus est, postquam accessit. verum dubito, num locus sine traiectione recte explicari possit, si suadente Eusthatio *ἀντίος γούνων ἤλυθε* coniungimus atque *λαβών* ad *πεφίδοιτο* referentes vertimus 'supplex genibus eius advolutus est, ut sibi parceret capto'. hoc modo praeter alios

Nauckius verba iunxit, ut ex eius interpunctione colligere licet. contra manifesto deprehendimus transpositionem huc quadrantem in hymno Homerico III 379 sq.

ὡς οὐκ οἴκαδ' ἔλασσα βόας, ὡς ὄλβιος εἴην,
οὐδ' ὑπὲρ οὐδὸν ἔβην.

neque excedit mediocrem audaciam talis positus, cum enuntiatum primarium inter duo alterius sententiae membra per *καί* conexa se insinuaverit[1]). quamquam Hermanno auctore haec verba interpolatoris sunt, qui suis ipsius commentis Mercurii orationem augere studebat.

In Romanorum autem poesi iam ab antiquioribus temporibus traiectiones verborum in enuntiatum secundarium factae inveniuntur. itaque cf. Ter. Hec. IV 1, 55 sq.

hoc mihi unum ex plurimis miseriis relicuom
fuerat malum,
si puerum ut tollam cogat, quoius nos quis sit
nescimus pater,

et Plaut. Mil. gl. IV 3, 39 sq.

nunc ad me ut veniat, usust, Acroteleutium,
ancillula eius ac Pleusicles.

eodem modo nonnunquam verbum 'facio' interponitur, ut Plaut. Mil. gl. III 1, 67 et Amph. prol. 84. cultissimae deinde aetatis poetae verba finita sententiae secundariae includere vehementer amabant. quam insolentis structurae crebritatem ut numero ipso repraesentemus, pleno modio hic accumulabimus exempla. apprime huc conveniunt Lucr. VI 158

cum confercit franguntur in artum
concreti montes,

Cat. 44, 7 sqq.

tussim,
non immerenti quam mihi meus venter,
dum sumptuosus appeto, dedit, coenas.

---

1) Placet in comparationem, non iniucundam illam, ut putamus, nec inutilem, adhibere ex vernacula lingua Waltheri verba p. 65, 26; 96, 22; 100, 12 Lachm.

cf. eundem 23, 12, Tib. II 3, 14, Priapea 57, 6; Hor. sat. II 3, 211

Aiax cum immeritos occidit, desipit, agnos,

sat. II 1, 60

quisquis erit vitae, scribam, color.

sed opus est, ut causam aperiam, cur insolenter poetae loqui maluerint quam consueto more. ne nimis longe exspatietur disputatio, unum exemplum ad partes vocabo. atque ultimo loco Horatiano non sine artis consilio poetam usitatam orationis conformationem repudiasse iam inde consentaneum est, quod ita versum constituere potuit 'scribam, quisquis erit vitae color'. hyperbato autem alacrior et vividior facta est oratio ac verbo 'scribam' postposito et proxime caesuram sequenti maxima accrescit vis; deinde metrica quoque ratione hanc traiectionem explicandam esse censeo, quod e Latinorum poetarum more versus a dactylo incipere solebat (vide Hultgrenum in annal. phil. 1873 p. 758 sq.)[1]). exempla allata tuentur vel renuente Bentleio verborum constructionem, qua nonnulli interpretes sententiam expedierunt in eodem Horatio epod. 16, 15

forte quid expediat communiter aut melior pars
malis carere quaeritis laboribus.

ad hunc enim modum vocabula ordinarunt 'forte quaeritis communiter aut melior pars, quid expediat carere malis laboribus'. atque verborum traiectio vix superat confinium exemplorum audaciam; tamen unum illud 'expediat' alio sensu ac vulgo fit usurpatum non omnem removet vitii suspicionem. praesertim

---

1) In Horatii versu sat. II 5, 59

o Laertiade, quidquid dicam aut erit aut non

multum homines docti laborarunt. sed loci difficillimi mentionem iniciens non id nunc ago, ut retractem totam de his verbis latam quaestionem. adscripsi autem versiculum, ut commemorem Turnebi sententiam Reisigio (Lat. Sprachw. § 480) probatam, qui hunc esse voluit sententiae ordinem 'dicam quidquid erit aut non erit'. speciosa sane interpretatio, cui non obesse vocabulorum collocationem equidem persuasum habeo.

vero Ovidius hanc verbi interpositionem tam frequenter sibi adscivit, ut multo usu eam fere vulgarem redderet. expromam haec am. III 1, 6

quod mea, quaerebam, musa moveret opus,

trist. IV 6, 9

tempus, ut extentis tumeat, facit, uva, racemis,

praeterea cf. met. I 763 sq., art. I 399 sq. nonnunquam praeter alias rationes hac traiectionis specie consultum videtur, ut duobus versus hemistichiis, alteri adiectivum, alteri substantivum assignaretur. sic in Ov. trist. IV 5, 21 sq.

et tutare caput nulli servabile, si non,
qui mersit Stygia, sublevet illud, aqua

artificioso verborum ordine attributum et substantivum in hemistichiorum fine distributa leguntur. eadem est causa Ov. ex P. III 3, 98. ceterum vide, quae disputavimus in § 8. tota autem sententia complura verba comprehendens interposita est enuntiato secundario Ov. Ib. 3 sq.

nullaque, quae possit, scriptis tot milibus extat
littera Nasonis, sanguinolenta legi

et art. I 423

quas illa, inspicias, sapere ut videare, rogabit.

postremum Propertii locum adnotaverim, quo codices interpolati hemistichiis transpositis quaesitum poetae artificium perdunt, II 4, 1 sq.

hei mihi, si quis,
acrius ut moriar, venerit alter amor.

cum animi vehementer commoti impetu optime congruit discerpta et incisa vocabulorum series.

Quae enumeravimus et exposuimus hac paragrapho exempla, omnia ita sunt comparata, ut transpositio sit facta inter enuntiatum secundarium et primarium. illud hyperbati genus, quo sententiae primariae verba in alteram parem, sua propria vi utentem, transcendunt, perquam raro reperitur. cuius rei causa ex ipsa harum periodi partium indole est petenda. nam ne-

cessitudo, quae eis intercedit, multo minus arta est, quam quae sententiam primariam secundariamque in unam quodammodo enuntiationem coniungit. attamen nonnulla exempla occurrunt. et in tali transpositionis insolentia, ut facile quivis sentit, minus offendimus, si unum enuntiatum ex logices ratione altero est inferius. huc vel maxime quadrat Soph. Phil. 1181

μή, πρὸς ἀραίου Διός, ἔλθῃς, ἱκετεύω.

illud enim *πρὸς ἀραίου Διὸς ἱκετεύω* parenthesis loco interpositum facilius per alterum enuntiatum in duo membra distrahitur[1]. similiter e litteris Latinis conformati sunt hi loci Plaut. Mil. gl. III 2, 48

ne dixerit, obsecro, huic, vostram fidem

et Cat. 66, 18

non, ita me divi, vera gemunt, iuverint.

hisce exemplis collatis accedit, opinor, aliquid auctoritatis scripturae librorum melioris notae, Guelferbytani et Palatini secundi (cf. Tankii de tristibus Ovidii recensendis dissertationem), qui Ovidii versum pessime habitum trist. III 9, 12 ita exhibent

'hospes' ait 'nosco, Colchide, vela, venit'.

illa quam dicunt verborum synchysis, audax sane et maxime inusitata, scite refert naturam trepidi et periculo anxii speculatoris, atque eo, quod difficilis erat intellectu, obnoxia fuit librariorum depravationi. ceterorum codicum lectiones, omnes haud dubie illas emendandi conatus prae se ferentes, non opus

---

[1]) Ad eandem traiectionis speciem fortasse referendum est hyporchematis fragmentum Pindari (ap. Mommsen. nr. 4, Bergk. edit. quart. p. 411 sqq.), quo solem deficientem poeta alloquitur. vv. 639 sq. Mommsenus hanc dedit scripturam

ἀλλά σε πρὸς Διὸς ἵπποις θοαῖς ἱκετεύω

ἀπήμον' ἐς ὄλβον τράποιο Θήβαις, ὦ ποτνία, πάγκοινον τέρας.

ἵπποις θοαῖς Hermannus olim coniecit postea *ἵππους θοάσαισ'* praetulit. quae si vera esset lectio, hae voces ad *τράποις* referendae traiectae essent in formulam *σέ πρὸς Διὸς ἱκετεύω* (vide Luebbertum de elocutione Pindari p. 20). sed de emendatione ambigua est res multisque modis homines docti in verbis corrigendis se exercuerunt (cf. Bergkii adnotationem criticam).

est confutare; video Merkelum, virum recti et sinceri iudicii, cum antea proposuisset 'hospes, ait, nosco Colchide vela sequi', in altera Ovidii editione sententiam mutasse quodque supra posui, in textum recepisse [1]). denique contemplare mihi anonymi epigramma anth. Plan. 138, 1 sq.

δεῦρ' ἴδε παιδολέτειραν ἐν εἰκόνι, δεῦρ' ἴδ' ἄγαλμα,
Κολχίδα, Τιμομάχου χειρὶ τυπωσαμένου.

quotienscunque ad hos versiculos sum delatus, facere non possum quin hyperbaton singulare intellegam. *Κολχίδα* enim ad *δεῦρ' ἴδε παιδολέτειραν* referendum et in alterius enuntiati constructionem transgressum esse videtur.

At cum iam satis longo itinere lectorum animos defatigasse videar, finem capitis eo faciam, ut breviter tangam traiectionis aliquod genus, levius illud quidem, sed externa quadam specie prioribus non plane dissimile. inveniuntur enim maxime apud Ovidium tales verborum dispositiones qualis est met. II 818

'stemus', ait, 'pacto', velox Cyllanius, 'isto'.

orationis rectae igitur continuatio subiecto et verbo dicendi interpositis impeditur, ita ut versus in parva membra vel frusta dissectus compareat. qua in structura poetam elegantiam quandam quaesivisse larga exemplorum copia demonstrat. cf. met. III 692 sq., am. II 9, 25

'vive', deus, 'posito', si quis mihi dicat, 'amore'

et H. Loewii commentationem de nonnullis figuris quibus poetae

---

[1]) Satis est incertum, num in Lygdami elegia 4, v. 25 sq. optimorum codicum lectio sit probanda

non illo quicquam formosius ulla priorum
aetas, humanum nec, videt, illud opus.

Hauptius ita versus in editione repraesentavit, ni fallor, ob verae emendationis desperationem. quodsi in tradita scriptura esset acquiescendum, verbum 'videt' transpositum esse statui oporteret. sed ad hanc insolentissimam traiectionem, qua verbum finitum prioris enuntiati post particulam 'nec' sedem occupavit, defendendam aliud exemplum non suppetit nec praesens tempus offensione caret. tamen tam certa et probabilis coniectura, ut locus possit pro expedito et sanato haberi, nondum est proposita.

Latini utuntur p. 22. ac ne prosaici quidem scriptores Graecorum et Romanorum ab illa narrationis allatorumque personae alicuius verborum mixtura abstinuerunt. cf. Plat. Protag. 354 e et quos citavit Loewius l. c. not. 3.

§ 13. Collocatio *διὰ μέσου*.

Haud raro accidit, ut constructio verbi et nominis aut verbi et sententiae a verbo pendentis interposito enuntiato aut verbo altero interrumpatur. quam quidem structuram grammatici veteres passim collocationem *διὰ μέσου* nominant. cf. schol. ad. Il. I 158 sqq., XX 463, Od. III 139, Ernestii lexic. technologiae Graec. rhetoricae p. 209, Porphyr. ad Hor. carm. III 5, 6. praecipue huc pertinet quae vulgo dicitur parenthesis, quam etiam rhetores antiquos inter hyperbati genera rettulisse supra vidimus. sed eam accuratius tractare et magno exemplorum numero comprobare mihi non est propositum, cum ad liberiorem collocationem non pertineat. nam si logicam vim sententiarum aliis interpositarum respicis, quibus causa aliqua vel simile aliquid continetur, eas enuntiatis primariis quodammodo inferiores esse et sic facile eis immisceri occultarique ipse sentias. verum nonnulla, quae commemoratione non videntur indigna, summatim breviterque attingam. hoc structurae genus, quo verbis, quae in unum enuntiatum coeunt, altera oratio interponitur, quae ut ita dicam levioris momenti est et secundarii enuntiati munere fungitur, etiam a familiaris sermonis natura non esse alienum vix est quod moneam. exempli gratia cf. Plaut. Poenul. III 1, 63

tenetis rem?
vix hercle — ita pauxilla est — digitis primoribus.

aliquando autem poetae non sine aperto consilio hanc formam in rem suam converterunt, quod uno exemplo breviter illustrabo Theocr. VII 35 sq.

ἀλλ' ἄγε δή — ξυνὰ γὰρ ὁδὸς, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς —
βουκολιασδώμεσθα.

nihil insueti quidem hac in parenthesi est conspicuum, tamen inter poeticum ornamentum certe illa est referenda. nam sic longa illa vox *βουκολιασδώμεσθα*, quae ipsa totum hemistichium implet, ad finem repositum in primo versu est collocatum. deinde hoc quoque est animadvertendum, in litteris antiquis interdum parenthesin nimis longe esse amplificatam, ut constructio et nexus sententiarum perspicuitate careat. huc pertinet Iliadis locus III 59—64, quorum versuum implicatam et minus dilucidam structuram recte solvit Naegelsbachius in adnott. ad Iliadem edit. alt. p. 224 sq. insignis autem et auribus nostris insuetae audaciae exempla sunt Nonn. Dion. XIII 172—181 et Hor. epist. I 15, 1—25. eodem spectant longae illae digressiones a Catullo et Tibullo haud ita raro adscitae, cum incohatae sententiae imperio relicto cogitationem interponunt, quam verba proxime antecedentia moverunt, eamque contexentes late exspatiantur, sub finem autem ad inceptam structuram redeunt, quo e genere sunt Cat. 65, 4 sqq., Tib. II 5, 23 sqq., 71 sqq. al. atque recte fortasse colligas in hac quoque orationis conformatione Latinos penitus hausisse Alexandrinorum poetarum ingenium artemque, quos simile quid quodam studio consecutos esse certis indiciis cognoscimus. etiam illud silentio non praetermittam, quod enuntiatum parenthesis loco positum hic illic vocabula arte cohaerentia seiungit. cf. Prop. III 18b, 37

credam ego narranti — noli committere — famae,

V 4, 73 sq.

urbi festus erat (dixere Parilia patres,
hic primus coepit moenibus esse) dies.

difficilior autem et insolentior est interpositio, ubi et quoad formam et quoad sensum duae enuntiationes prorsus sunt inter se pares; veluti Eurip. Hipp. 936 sq.

φεῦ τῆς βροτείας — ποῖ προβήσεται; — φρενός·
τί τέρμα τόλμης καὶ θράσους γενήσεται;

eo, quod verba *ποῖ προβήσεται;* in mediam sententiam alteram inferuntur, iratus et excitatus Thesei animus haud male signi-

ficatur. confer etiam exemplum maxime notabile Aristoph. Vesp. 717 sq.

ἔδοσαν δ᾽ οὐ πώποτέ σοι πλὴν πρῴην πέντε μεδίμνους,
καὶ ταῦτα μόλις ξενίας φεύγων ἔλαβες κατὰ χοίνικα κριθῶν,

quo loco ultima vox *κριθῶν*, quae post *μεδίμνους* collocari debebat, longiore enuntiato est seiuncta. porro aliud satis inusitatae parenthesis genus conspicitur Prop. IV 15, 34 sq.

sic (cadit inflexo lapsa puella genu)
sera tamen pietas: natis est cognitus error.

enuntiatum interpositum continet sententiam, quam poeta postea demum infert, cum ea fuerit praeponenda. ceterum haec parenthesis species Propertio est familiaris, qui quamquam saepius similibus est usus, tamen perspicuitatem orationis nunquam neglexit neque nisi per breve spatium parenthesin pertinere passus est (vide Hertzbergium, quaest. Prop. I p. 128). deinde animum intendas ad Arati Phaenom. 264 sqq.

αἳ μὲν ὁμῶς ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες, ἀλλ᾽ ὀνομασταὶ
ἦρι καὶ ἑσπερίαι, Ζεὺς δ᾽ αἴτιος, εἱλίσσονται,
ὅ σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο
σημαίνειν ἐκέλευσεν ἐπερχομένου τ᾽ ἀρότοιο.

parenthesis illa *Ζεὺς δ᾽ αἴτιος* eo est insignis, quod deinde sequitur enuntiatum relativum, quocum est coniungenda. interponitur etiam inter enuntiatum primarium et secundarium alia sententia primaria, quae aut antecedere aut subsequi debebat. qua de re cf. Ter. Ad. III 1, 4 sq.

neminem habeo — solae sumus, Geta autem hic
non adest —
nec quem ad obstetricem mittam nec qui accer-
sat Aeschinem.

quae quidem orationis forma ex cottidiani sermonis consuetudine profecta esse videtur. nec lato fine distat Theognidis exemplum, quod Homericae dictionis imitationem prodit, 1312 sqq.

τούτοις οἷσπερ νῦν ἄρθμιος ἠδὲ φίλος
ἔπλευ, ἐμὴν δὲ μεθῆκας ἀτίμητον φιλότητα,
οὐ μὲν δὴ τούτοις γ᾽ ἦσθα φίλος πρότερον.

verba ἐμὴν δὲ μεθῆκας ἀτίμητον φιλότητα, quae sub finem erant ponenda, praeposita quandam illaboratae orationis gratiam ostendunt. liceat mihi hoc loco aliud hyperbati genus adnectere, quo inter sententiam secundariam et eam, quae ab illa pendet, enuntiatum primarium anticipationis modo intercedit. cf. Ter. Eun. V 4, 23 sq.

itaque ut ne viderem misera huc ecfugi foras,
quae futura exempla dicunt in eum indigna.

sermonis in ore hominum viventis contemplatione optime haec dispositio explicatur. neque alia est causa in Sophoclis loco, difficiliore illo quidem propter sententiae primariae ambitum, Trach. 680 sqq.

ἐγὼ γὰρ ὧν ὁ θήρ με Κένταυρος πονῶν
πλευρὰν πικρᾷ γλωχῖνι προὐδιδάξατο,
παρῆκα θεσμῶν οὐδέν, ἀλλ' ἐσῳζόμην,
χαλκῆς ὅπως δύσνιπτον ἐκ δέλτου γραφήν,
τὸ φάρμακον τοῦτ' ἄπυρον ἀκτῖνός τ' ἀεὶ
θερμῆς ἄτικτον ἐν μυχοῖς σῴζειν ἐμέ,
ἕως νιν ἀρτίχριστον ἁρμόσαιμί που.

quod ad sensum pertinet, oratio obliqua τὸ φάρμακον etc. a verbo προὐδιδάξατο est suspensa. Wunderi enim sententiam amplector, qui versum, quem codices post χαλκῆς ὅπως δύσνιπτον ἐκ δέλτου γραφὴν inserunt, καί μοι τάδ' ἦν πρόρρητα καὶ τοιαῦτ' ἔδρων, spurium iudicavit. quippe librarius constructione non perspecta suo invento vacillantem orationem sustentare est conatus. anxii autem et haerentis animi est implicata illa verborum consecutio in Euripidis Phoen. 383 sq.

ὅπως δ' ἐρωμαι μή τι σὴν δάκω φρένα,
δέδοιχ' ἃ χρῄζω,

ubi sententiam ad hunc ordinem redigas ὅπως δ' ἐρωμαι ἃ χρῄζω, δέδοικα μή τι σὴν δάκω φρένα. ceterum inspice scholion a. h. l.

Illis igitur, quae modo generatim exposuimus, praemunitis, ne disputationi nostrae desit ordo, utile nobis videtur eam ingredi viam, ut causa, quae poetis in verborum dispositione

obversabatur, pro duce utamur. difficile autem est singula exempla, quorum satis magna extat multitudo, cum saepe inter se comparia sint vel confinia, interdum tamen aliqua ex parte differant, ad certam quandam revocare normam. verum commoditati scriptionis obsecutus esse mihi videor, quod non ubique religiose distinxi inter plenum enuntiatum et unum aliquod verbum in constructionem alterius traiectum. atque habebit hoc minus distincte disputandi genus e brevitatis studio fortasse nonnihil excusationis. ceterum in hac quoque commentationis particula maxime operam dedi, ut a vulgari ad insolentiorem speciem gradatim ascenderem [1]). si enuntiatum e sententiae ratione altero est inferior, non valde mireris, quod huic interponitur, ut Pind. Pyth. IV 45 sq. maior vero audacia illis locis cognoscitur, ubi enuntiationes paene pari utuntur potestate. sic Hom. Il. II 333 sqq.

> ὣς ἔφατ᾽, Ἀργεῖοι δὲ μέγ᾽ ἴαχον — ἀμφὶ δὲ νῆες
> σμερδαλέον κονάβησαν ἀϋσάντων ὑπ᾽ Ἀχαιῶν —
> μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο,

oratio per parenthesin conformata mirum quantum erigitur novoque cultu enitescit, atque quam celeriter sese excipiant clamor Graecorum et echo a navibus repercussa, ordine quoque verborum exprimitur. neque aliter explicandi esse videntur versus Nonn. Dion. XXXIII 364 sqq.

> ἀλλά μιν ἠπερόπευε, καὶ ἐκ θανάτοιο σαώσεις
> σὴν στρατιὴν φύξηλιν ἱμασσομένου Διονύσου,
> ψευδομένη παφίης κενεὸν πόθον,

ubi participium ψευδομένη, si recte sentio, proprie spectat ad imperativum ἠπερόπευε. omnino autem Homerus hac libertate quam maxime usus est et convenit haec consuetudo sermoni eius simplici et laxiori neque dum artiore periodi compage astricto. quippe orationis membra minus ex severa cogitandi ratione arte copulantur quam solute iuxta ponuntur. vide Clas-

---

1) Complura eorum, quae a me tractata vides, attulit Lobeckius ad Soph. Ai. vv. 475. 476.

senium, homerischer Sprachgebrauch p. 5 sqq. saepius occurrit structura ita instituta, ut appositio aut pronomen relativum per aliam sententiam seiungatur. cf. Hom. Il. XI 738 sq.

πρῶτος ἐγὼ ἕλον ἄνδρα, κόμισσα δὲ μώνυχας ἵππους,
Μούλιον αἰχμητήν,

h. Hom. III 309 sqq., Batrom. 124 sqq., praeterea Zenodoti epigr. anth. Pal. VII 117, 3 sq.

ἄρσενα γὰρ λόγον εὗρες, ἐνηθλήσω δὲ προνοίᾳ,
αἵρεσιν ἀτρέστου ματέρ' ἐλευθερίας.

huc etiam referri posset Theocr. XIII 23 sq.

ἀλλὰ διεξάιξε, βαθὺν δ' εἰσέδραμε Φᾶσιν,
αἰετὸς ὡς μέγα λαῖτμα,

si modo versus 24 interpolationis suspicione careret (cf. Meinekium a. h. l., Lobeckium l. c.). atque eodem modo explicari posse videntur Musaei carminis versus 216 sqq., quomodo in codicibus se excipiunt; quamquam Schwabius (de Musaeo Nonni imitatore p. 54) fortasse recte transposuit versum 218 post v. 212. deinde nonnunquam apud Homerum et alios poetas epicos enuntiati constructio altero interposito ita interrumpitur, ut sententiae affirmativae ad eius vim augendam proxime addatur negativa structura. quae collocatio orationem vividam et concinnam reddit, cum sententia aliter ordinata multo debilior et remissior evadat. cf. Hom. Il. XI 376 sq.

καὶ βάλεν, οὐδ' ἄρα μιν ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρός,
ταρσὸν δεξιτεροῖο ποδός,

Il. XI 350, XIII 476, XX 196 sqq.

ἀλλά σ' ἔγωγ' ἀναχωρήσαντα κελεύω
ἐς πληθὺν ἰέναι· μηδ' ἀντίος ἵστασ' ἐμεῖο,
πρίν τι κακὸν παθέειν,

Hesiod. theog. 151 sq.

πάντας ἀποκρύπτασκε, καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε,
γαίης ἐν κευθμῶνι,

Apoll. Rhod. III 129 sq.

ἦέ μιν αὔτως
ἤπαφες, οὐ δὲ δίκῃ περιέπλεο, νῆιν ἐόντα.

similiter eventus, qui e priore verbo manavit, mediae huius verbi constructioni infertur, ut apud Homerum Il. XVI 119

γνῶ δ' Αἴας κατὰ θυμὸν ἀμύμονα, ῥίγησέν τε,
ἔργα θεῶν,

quocum loco conferas Il. XVI 530 sq. ad eandem rationem revocandus fortasse est Euripidis versus Iph. Taur. 1309, in codicibus ille valde depravatus, ut lectio incerta sit[1]). interdum in tali structurae forma accidit, ut interposito altero enuntiato incepta prioris membri constructio mutetur et e remotiorum oblivione anacoluthon existat. cf. G. Hermannum ad hymn. Hom. in Cer. 153. cui loco exemplum e recentiore aetate subiungo epigramma in Auxentium compositum, qui in Cydno flumine pontem firmiorem fecerat quam qui antea exstructi erant (nr. 1078 Kaibel.). in illo inde a v. 7 haec leguntur

σοὶ δ' ὑπὲρ ἀψίδων αἰώνιος ἐρρίζωται
— καὶ ποταμὸς πλήθων πρηΰτερος τελέθει —
αὐτὸς τήνδε γεφύραν ἀνασχόμενος τελέσασθαι.

verba enim *αὐτὸς* — *ἀνασχόμενος* coniungenda sunt cum *σοὶ δὲ* — *ἐρρίζωται* et dativus *σοί* continuatur nominativo *αὐτός*.

Porro densae brevitatis studium et concinnae orationis venusta elegantia haud raro in litteris Graecis similem sermonis conformationem suadebat. inde explicandi sunt hi loci Soph. Ant. 298 sq.

τόδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
χρήστας πρὸς αἰσχρὰ πράγμαθ' ἵστασθαι βροτῶν,

et ibid. 537

καὶ ξυμμετίσχω καὶ φέρω τῆς αἰτίας,

quo altero exemplo animadvertas praepositionem *σύν* e verbo *ξυμμετίσχω* pertinere etiam ad *φέρω*. hisce duobus locis

---

1) Haec dum exempla contemplor, subit animum memoria similis constructionis in carminibus nostrorum poetarum, quos saeculum p. Chr. tertium decimum vidit. exempli gratia cf. Waltherum p. 53, 18 Lachm. et Hartmannum Iwein. 924 sq.

oratio valde languesceret, si quae interposita sunt poeta grammaticae leges severiores secutus postea addidisset. itaque ubi obiectum prioris verbi longiorem habet ambitum et alterum membrum interpositum breviter est conformatum, multum valet collocatio illa *διὰ μέσου* ad orationis vigorem et alacritatem. huc vel maxime facit Theocr. XXVIII 6 sq.

ὅπως τὸν ξεῖνον ἐμὸν τέρψομ' ἴδων, κἀντιφιλήσομαι,
Νικίαν, Χαρίτων ἱμεροφώνων ἴερον φυτόν,

ubi nomen proprium inserto illo *κἀντιφιλήσομαι* cum vi in principio versus est collocatum. omnino autem haec structura non remota est a primum se offerente ratione ac fortuiti subitique sermonis speciem optime refert. ad idem genus revocandus est Callimachi locus ab Heckero explicatus frg. 175 Schn.

τὸν οὐκ ἔπλησε φέρουσα
μήτηρ, οὐδ' ὤδιν', ἐννέα μῆνας (ὅλους).

ac ne Homerus quidem ab hac verbi alterius per medium inferendi collocatione abstinuit; ita enim intellegenda esse videntur verba Od. XVI 4 sq.

Τηλέμαχον δὲ περίσσαινον κύνες ὑλακόμωροι,
οὐδ' ὕλαον, προσιόντα.

ὑλᾶν τινα sensu transitivo (nam Od. XX 15 omnino momentum non facit) graece non dicitur. itaque *οὐδ' ὕλαον* traiecta esse statuas, quomodo in simili sententia Theocr. XXV 72 sq.

τὸν δὲ γέροντα
ἄγριον ἀσπάζοντο περίσσαινόν θ' ἑτέρωθεν

praedicatum *ἀσπάζοντο* alterius structurae immixtum est (vide ibi Meinekium)[1]). his igitur locis comparatis num iusto con-

---

[1]) Ne autem eis, quae aliqua similitudine coniuncta, sed non plane comparia sunt, contextam orationem interrumpamus, in margine locum habeant nonnulla Homeri exempla, quibus, quae a verbo suspensa sunt, non ad proximum, sed ad remotius verbum accomodantur. itaque cf. Od. II 369 sq.

οὐδέ τί σε χρὴ
πόντον ἐπ' ἀτρύγετον κακὰ πάσχειν οὐδ' ἀλάλησθαι.

fidentius iudicare tibi videbor, cum idem hyperbati genus Theognidi impertiam in versibus 461 sq.

μήποτ᾽ ἐπ᾽ ἀπρήκτοις σύ γε νοῦν ἔχε, μηδὲ μενοίνα,
χρήμασι, τῶν ἄνυσις γίνεται οὐδεμία —?

σύ γε νοῦν ἔχε Hartelius scribendum esse coniecit leni mutatione. at Bergkius in hac verborum traiectione apud antiquum poetam offendit, quamquam Alexandrinos quidem hanc licentiam frequentasse concedit. tamen exemplis ex antiquioribus poetis supra allatis satis defenditur haec implicata verborum collocatio a Theognide iam usurpata. atque si mirum videbitur, quod hoc loco vocabula arte cohaerentia, substantivum dico et attributum, sic sunt seiuncta, vide quae initio huius capitis de parenthesi mediae orationi illata exposuimus. praeterea perapposite huc adducas Archimeli epigramma anth. Pal. VII 50

τὴν Εὐριπίδεω μήτ᾽ ἔρχεο, μήτ᾽ ἐπιβάλλου,
δύσβατον ἀνθρώποις οἶμον, ἀοιδοθέτα.

quamquam haec verborum traiectio aliquanto minus difficilis est, cum etiam ad interpositum imperativum *ἐπιβάλλου* verbum *ἔρχεσθαι*, unde accusativus *οἶμον* pendet, mente sit supplendum. sed illud est recentioris poetae; verum ne credas sublato temporum discrimine exemplis modo omnia confici, apponam Sophoclis locum, ubi congruenti plane ratione oratio est ordinata.

ἐπὶ πόντον ἀτρύγετον posteriori verbo *ἀλάλησθαι* sunt adnectenda, cum ad verbum *κακὰ πάσχειν* praepositionem *ἐν* desideres (cf. Od. I 4). cui loco plane similiter conformatus est alter Od. XVIII 131

πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

contra verba praecedunt et obiectum subsequitur Od. XXIV 236

κύσσαι καὶ περιφῦναι ἑὸν πατέρ᾽ ἠδὲ ἕκαστα
εἰπεῖν.

etenim accusativus *ἑὸν πατέρα* a verbo *κύσσαι* pendet, quod alterum *περιφῦναι* casum dativum sibi postulat (cf. Od. XIX 416). id igitur vocabulum, quod primum locum tenet, adeo praevalet, ut etiam post insertum verbum alterum sedem habeat, quod cum illo est coniungendum. verum quam late verbum priore loco positum vim suam exercere possit in ea quae sequuntur, clare demonstrat mirum illud exemplum Nonn. Dion. XLVIII 464—469.

in Trachiniis enim postquam Deianira Licham obsecravit, ut vera sibi de Hercule et Iole diceret, chorus preces eius adiuvat his verbis v. 470 sq.

πιθοῦ λεγούσῃ χρηστά, κοὐ μέμψει χρόνῳ,
γυναικὶ τῇδε, κἀπ' ἐμοῦ κτήσει χάριν.

ita enim versus intellegi velim, ut κοὐ μέμψει χρόνῳ per medium insertum sit verbis πιθοῦ λεγούσῃ χρηστὰ γυναικὶ τῇδε, quae in unum enuntiatum coeunt. nam cave referas dativum γυναικὶ τῇδε etiam ad μέμψει, quod sententia dissuadet; hoc enim chorus dicere vult 'pare mulieri, atque postea non idigne feres, quod ei obtemperasti, et meam simul gratiam tibi conciliabis'. itaque membrum illud κοὐ μέμψει χρόνῳ a dativo γυναικί plane seiungendum est, cum ex sententiae ratione una cum altero enuntiato postponi deberet. hanc autem orationis formam a Schneidewino non probe esse perspectam adhibita distinctio ostendit.

Ne a prosa quidem oratione talis verborum collocatio aliena est. cf. Thuc. I 102 οἱ γὰρ Λακεδαιμόνιοι, ἐπειδὴ τὸ χωρίον οὐχ ἡλίσκετο, δείσαντες τῶν Ἀθηναίων τὸ τολμηρὸν καὶ τὴν νεωτεροποιίαν καὶ ἀλλοφύλους ἅμα ἡγησάμενοι, μή τι — ὑπὸ τῶν ἐν Ἰθώμῃ πεισθέντες νεωτερίσωσι. enuntiatum secundarium particula μή incohatum a verbo δείσαντες est aptum, et illud δείσαντες priore loco est positum, quod in eo gravior sententiae vis continetur; alterum autem membrum (καὶ ἀλλοφύλους ἅμα ἡγησάμενοι) interpositum est, ne sub finem collocatum omni conexu sit destitutum. huic loco addas Thuc. VI 64 εἶναι δὲ ταῦτα τοὺς ξυνδράσοντας πολλοὺς Καταναίων, καὶ ἡτοιμάσθαι ἤδη, ἀφ' ὧν αὐτὸς ἥκειν, et Isocr. paneg. 149 c θαυμάζοντες καὶ ὁμιλοῦντες τοὺς τούτοις πρωτεύοντας, ubi brevitatis studium alterum verbum medium inseruit. vide etiam Heindorfium ad Plat. Phaedonem 94 d p. 166. animadvertendum autem est exemplum Thucydideum, ubi obiectum verbi antecedit, III 68 αὖθις τὸ αὐτὸ ἕνα ἕκαστον προαγαγόντες καὶ ἐρωτῶντες.

Inprimis haec hyperbati species, quam dicunt collocationem διὰ μέσου, valet ad depingendam animi aestuantis perturbationem et optime convenit orationi commotae, concitatae et vehementi.

itaque nonnunquam calidior loquentium animus efficit, ut ad aliam subito cogitationem transiliant et mediis quibusdam interiectis constructionem interrumpant, posthac ad coeptam structuram revertantur. qua ordinis consueti perturbatione oratio multo efficacior existit magisque penetrat ad ipsorum audientium animos. hoc autem in genere frequentissimum esse Euripidem video. ita dixit Hel. 1579 sq.

ἔτ᾽, ὦ ξέν᾽, εἰς τὸ πρόσθεν, ἢ καλῶς ἔχει,
πλεύσωμεν;

Troad. 299

πιμπρᾶσιν, ἢ τί δρῶσι, Τρῳάδες μυχούς;

Cycl. 121

σπείρουσι δ᾽, ἢ τῷ ζῶσι, Δήμητρος στάχυν;

praeterea cf. Rhes. 565 sq.

Διόμηδες, οὐκ ἤκουσας, ἢ κενὸς ψόφος
στάζει δι᾽ ὤτων, τευχέων τινὰ κτύπον;

neque dissimilis est Platonis locus legg. III p. 697 c *εἰρήσθω ταῦτα, ἢ πῶς, ἡμῖν*, ubi *ἡμῖν* cum *εἰρήσθω* coniungendum atque *ἢ πῶς* interpositum est, ut *ἢ τί* Eurip. Hec. 1272

μορφῆς ἐπῳδόν, ἢ τί, τῆς ἐμῆς ἐρεῖς;

eodem deinde modo, quo talis verborum traiectio in interrogationibus properanter prolatis admittitur, locum etiam habet in adhortationibus et in formis imperativi. sic Aristophanes in Equitibus alterum imperativum prioris structurae immiscuit v. 546 sq.

αἴρεσθ᾽ αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ᾽ ἐφ᾽ ἕνδεκα κώπαις,
θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην,

et v. 1036

ὦ τᾶν, ἄκουσον, εἶτα διάκρινον, τόδε,

quomodo Meinekius vera coniectura *τόδε* pro *τότε* restituens versum emendavit. sic per hyperbaton, si me audis, intellegendi sunt etiam versus Eurip. Med. 894 sq.

ὦ τέκνα τέκνα, δεῦτε, λείπετε στέγας,
ἐξέλθετ᾽, ἀσπάσασθε καὶ προσείπατε.

δεῦτε pertinet ad verbum *ἐξέλθετε*, atque festinatio, quae in bis posito vocativo *τέκνα* et asyndeto plane apparet, clarius exprimitur interpositione enuntiati *λείπετε στέγας*. in Theocriti autem loco saepe ab hominibus doctis citato anth. Pal. VII 644

Ἀρχίλοχον καὶ στᾶθι καὶ εἴσιδε

traiectum est *καὶ στᾶθι*, ut nomen eius, de quo agitur, maxima cum vi et gravitate versum inciperet.

Praecipue vero Graecae linguae studium per antitheta iuxta posita conformandi orationem hanc constructionis perturbationem excitavit, ut, quae coniungenda essent, interposito altero verbo aut enuntiato distraherentur. interdum quidem accidit, ut talis orationis conformatio concinnitate quadam postuletur atque ad perspicuitatem et evidentiam multum conferat, ut exempli gratia Eurip. Heracl. 307 sq.

δότ', ὦ τέκν', αὐτοῖς χεῖρα δεξιάν, δότε,
ὑμεῖς τε παισί, καὶ πέλας προσέλθετε.

hic alter imperativus *προσέλθετε* ad *τέκνα* spectat, et poeta sine magno structurae detrimento aliter omnino loqui non poterat. plerumque autem vulgaris verborum ordo consulto neglectus est, ut sermoni vigor accresceret et oratio ipsa fortior evaderet. cf. Eurip. Ion. 690 sq.

νῦν δ' ἣ μὲν ἔρρει, ὃ δ' εὐτυχεῖ,
πόλιον εἰσπεσοῦσα γῆρας,

Soph. El. 352 sq.

ἐπεὶ δίδαξον, ἢ μάθ' ἐξ ἐμοῦ, τί μοι
κέρδος γένοιτ' ἂν τῶνδε ληξάσῃ γόων.

compar traiectio est agnoscenda in Agamemnonis verbis apud Euripidem Iph. Aul. 528 sqq.

οὔκουν δόκει νιν στάντ' ἐν Ἀργείοις μέσοις
λέξειν, ἃ Κάλχας θέσφατ' ἐξηγήσατο,
κἄμ', ὡς ὑπέστην θῦμα, κᾆτα ψεύδομαι,
Ἀρτέμιδι θύσειν.

audacissime vero Timocreon, Themistoclis aequalis, verba turbavit in epigrammate, quod 'maledicentissimus poeta fortasse in ipsum Themistoclem scripsit' (Bergk. frg. 9 III[4] p. 540),

τοῦ ξυμβουλεύειν χὲρς ἄπο, νοῦς δὲ πάρα.

τοῦ haud sane improbabiliter Bergkius coniecit. dicendum erat e consueta ratione τοῦ ξυμβουλεύειν νοὺς πάρα, χὲρς δ᾽ ἄπο; sed immutavit poeta coeptam structuram, ut, quod gravissimum esse putabat, praeponeret et sic oppositionem atque irrisionem augeret. similis est verborum consecutio Soph. Ant. 21 sq.

οὐ γὰρ τάφου νῷν τὼ κασιγνήτω Κρέων,
τὸν μὲν προτίσας, τὸν δ᾽ ἀτιμάσας ἔχει;

genetivus τάφου pendet a verbo ἀτιμάσας et alterum membrum τὸν μὲν προτίσας per medium est illatum. neque sine arte et consilio duriorem constructionem Sophocles admisit. Antigonae enim praesertim contumelia Polynicis fratris dilectissimi ante oculos versatur eaque de causa inde facit initium. sed subito recordata, quomodo alter frater sit honoratus, hoc protinus inducit momentum, deinde ad priorem cogitationem redit atque summam sententiae vim in ultimis ponit vocabulis. habet igitur haec verborum dispositio haud exiguam ex tempore dicentis speciem neque caret sua propria elegantia. porro apprime huc cadit alius Sophoclis locus a Lobeckio primo recte explicatus Ai. 475 sq.

τί γὰρ παρ᾽ ἦμαρ ἡμέρα τέρπνειν ἔχει
προσθεῖσα κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν [1]).

acquiescendum in hyperbato est etiam in epigrammate illo celeberrimo apud Demosth. de corona § 289 (append. anth. Pal. 266). at carmen et dubiae originis et vehementer deformatum coniecturisque acervatim congestis varie temptatum ad partes vocans non iam eam operam navabo, ut quaestionem

---

[1]) Simili modo fortasse quispiam putarit construenda esse Pindari verba Nem. III 19

εἰ δ᾽ ἐὼν καλὸς ἔρδων τ᾽ ἐοικότα μορφᾷ,

ut μορφᾷ ad participium καλὸς ἐών referatur et ἔρδων τ᾽ ἐοικότα traiecta sint. corporis enim pulcritudo et animi virtus sibi invicem opponuntur. attamen si comparaveris Pind. Isthm. ἄγει ἀρετὰν οὐκ αἴσχιον φυᾶς et Simonidis epigr. anth. Plan. I 2, 3 κάλλιστον μὲν ἰδεῖν, ἀθλεῖν δ᾽ οὐ χείρονα μορφᾶς, veri similius coniunxeris ἐοικότα μορφᾷ.

latissimam et difficultatibus haud mediocribus impeditam de integro instituam. satis erit, si ea accurate diiudicabimus, quae nostram rem tangant. apponam autem, ut subveniam lectorum commodo, totum epigramma, quomodo emendationibus veris aut veri similibus sanatum esse mihi videtur.

οἵδε πάτρας μὲν ἕκας σφετέρας εἰς δῆριν ἔθεντο
ὅπλα καὶ ἀντιπάλων ὕβριν ἀπεσκέδασαν,
μαρνάμενοι δ᾽ ἀρετῆς καὶ λήματος, οὐκ ἐσάωσαν
ψυχάς, ἀλλ᾽ Ἀίδην κοινὸν ἔθεντο βραβῆ.
οὕνεκεν Ἑλλήνων, ὡς μὴ ζυγὸν αὐχένι θέντες
δουλοσύνης στυγερὰν ἀμφὶς ἔχωσιν ὕβριν.
γαῖα δὲ πάτρις ἔχει κόλποις τῶν πλεῖστα καμόντων
λείψαν᾽, ἐπεὶ θνητοῖς ἐκ Διὸς ἥδε κρίσις·
μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν
ἐν βιοτῇ μοῖραν δ᾽ οὔτι φυγεῖν μερόπων[1]).

---

[1]) v. 1. *ἕνεκα* vulgo, *μὲν ἕκας* Weilius — v. 3. libri *δείματος*, Valckenaerus *λήματος*. — v. 8. *λείψαν'* Bergkius recte, ut videtur, pro *σώματ'*, cum cinerem mortuorum Athenas esse portatum constet (cf. Polyb. V 10). — v. 10. *μερόπων* Graefius, libri *ἔπορε*. — de hoc epigrammate in Athenienses pugna ad Chaeroneam a. 338 facta mortuos quot extent hominum doctorum scripta, vide apud Goellerum in commentatione scholastica de epigrammate anthologiae Graecae (Coloniae 1826), qui veterum, et apud Bergkium poet. lyr. II⁴ p. 331 sqq., qui recentiorum sententias recensuit. praeterea cf. Welckerum, alt. Denkm. V 68 adnot. 11. quaedam non male observavit Duentzerus, die homer. Beiwörter p. 47—52. quorum alii epigramma pro genuino, alii pro subditicio habent, Goettlingius Demostheni ipsi, certe iniuria, adscripsit. Kaibelus (de monumentorum aliquot graec. carminibus, Bonnae 1871) genuinum epigramma sibi visus est repperisse, quam opinionem suo iure refutavit Bergkius l. c. hic mediam quandam viam ingressus, 'cum Byzantini grammatici hebes ingenium eiusmodi epitaphium non potuisse fingere' videretur, 'grammaticum vel rhetorem' putabat 'Athenis artem exercentem epigramma inseruisse; illum enim ad monumentum accessisse atque titulum descripsisse, quem cum temporis iniuria multa iam evanida essent, pro virium suarum modulo redintegrare studuisset'. hac sententia probata non est infitiandum ea, in quibus interpretes offenderint, facilem habere explicatum. deinde I. Sitzlerus in annal. phil. 1879 p. 815 sq. operam suam contulit ad difficultates huius car-

vera et mutationis specie probabilis coniectura, qua in v. 3 sq. vocabulorum traiectio tollatur, quamquam multi criticae artis palmam in his verbis corrigendis erant adepturi, nemini successit. neque omnino hos versus indigere puto emendatione, nisi quod cum Valckenario *λήματος* pro *δείματος* reponendum est; praeterea nihil aliud nisi rectam interpretationem requirunt, quam Goellerus primus est odoratus in commentatione scholastica infra indicata. unum illud *δείματος* in *δείγματος* mutatum displicet in eis quae homo doctus disputavit; contra scite orationis structuram detexit verba ad hunc modum ordinans *μαρνάμενοι δὲ κοινὸν Ἀίδην βραβῆ ἔθεντο ἀρετῆς καὶ λήματος καὶ οὐκ ἐσάωσαν ψυχάς*. neque inusitatum hyperbati genus est neque quod vi et efficacia careat; immo, si quem horum gustum habeo, vividior et fortior eo fit oratio.

---

minis eliciendas. atque primum quidem versus 5 et 6 delevit, quod periodi nexum turbarent utpote eandem sententiam exhibentes quam distichon primum et *ζυγὸν αὐχένι τιθέναι* de victore tantum diceretur. etiam priores in verbis *ζυγὸν αὐχένι θέντες* haeserunt et emendationem sunt periclitati, velut Duentzerus l. d. p. 50 *ζυγῷ αὐχένα δόντες* et Bergkius *ζυγὸν αὐχένι δύντες*. at Gregorius Nazianzenus, quem locum Diltheyi benevolentiae debeo, aliquem antiquiorem poetam secutus scripsit (praecepta ad Virgines v. 640 sq. Migne III p. 628)

τολμήεις, ὃς πρῶτος ἐμήσατο θῆρα δαμάσσαι,
καὶ ζυγὸν αὐχένι θῆκε καὶ ἤγαγεν ἅρμα πέλωρον.

graviter corruptum, non interpolatum esse videtur tertium distichon. alterum Sitzleri inventum pertinens illud ad praesentem quaestionem, quo ut hyperbaton removeret scribendum esse coniecit *μαρνάμενοι δ' Ἄρεως καὶ Δείματος οὐκ ἐσάωσαν ψυχάς*, iam silentio praeterire liceat. nam et a sententia et a grammatica ratione commentum illud respuitur. itaque in versibus 3 et 4 de traiectione una est cogitandum neque aliter iudicavit, qui nuperrime de hoc carmine egit. Richterus enim (de epigr. Chaeronensi, Malchin 1883) quamquam praeter ultimum distichon omnes versus spurios et ab rhetore quodam primi p. Chr. saeculi compositos existimat, tamen verba illa *οὐκ ἐσάωσαν ψυχάς* in mediam enuntiationem alteram transposita esse concedit. quod autem hanc insolitam parenthesin poeta indignissimam dicit, me non assentiri supra indicavi, immo aliter oratio magnam venustatis pateretur iacturam; item cum Bergkio dissentio a Richtero in eo, quod hoc carmen poetico ingenio prorsus carere et hos versiculos tales esse contendit, 'quibus similes fabricare facillimum fuerit'.

procul dubio Kaibelus in hac conformatione non offendisset, nedum invenusti aliquid deprehendisset, si eiusmodi collocationis exempla ei fuissent in numerato, quae nos supra attulimus. quodsi tamen fuerint, qui tale hyperbaton agnoscere nolint, fortasse non amplius assensum cohibebunt, si e scriptorum sermone geminum exemplum attulerimus Xenoph. Hell. VII 3, 7 *ὑμεῖς τοὺς περὶ Ἀρχίαν, οὐ ψῆφον ἀνεμείνατε, ἀλλὰ ἐτιμωρήσασθε.* eadem autem illa contentio orationi vim et gravitatem conciliandi contrariis idonea ratione conexis aliis quoque sermonis pedestris locis structuras huiusmodi peperit. cf. Demosth. Phil. I 53 *οἱ μὲν ἐχθροὶ καταγελῶσιν, οἱ δὲ σύμμαχοι τεθνᾶσιν τῷ δέει, τοὺς τοιούτους ἀποστόλους*, Xen. Hellen. I 5, 9 *ὅρκον ἔλαβον καὶ ἔδοσαν παρὰ Φαρναβάζου.* durissimum et audacissimum hac in re esse Thucydidem demonstrat VI 68 *ἐν πατρίδι, ἐξ ἧς κρατεῖν δεῖ ἢ μὴ ῥᾳδίως ἀποχωρεῖν*[1]). denique ut his, quae de litteris Graecis explanatius disputavi, aliqua commendatio accedat, sub finem ponam locum nondum recte expeditum, quem Diltheyi emendatio meliorem mihi tradidit. in epigrammate Sophronii patriarchae anth. Pal. VII 679, 1 sq. haec extant

τύμβε, τίς ἢ πόθεν, ἦν δ' ἔτι παῖς τίνος, ἔργα καὶ ὄλβον,
νεκρός, ὃν ἔνδον ἔχεις, ἔννεπε, κευθόμενον.

accusativi *ἔργα καὶ ὄλβον*, qui eodem modo ac sententiae interrogativae a verbo *ἔννεπε* pendent, insolentissime interpositi sunt; nam substantivum *νεκρός* ad interrogationem in v. 1 relatum est. verborum dispositio audacissima sane, quam huic loco prorsus similem alibi me repperisse non memini. tamen Jacobsii sententiae firmiter me addicere dubito, qui hanc intricatam collocationem putat metri necessitate extortam esse imperito versificatori. monstrat enim pentametri conformatio elegantiae affectationem, neque ubicunque alterius exempli perfecta similitudo

---

[1]) Quod alii huc referunt Thuc. III 34, rectius illo loco anacoluthon intellegas, nam scriptor orationem ita conformavit, ut incohatam structuram interposito membro prorsus neglegeret et a novo quasi initio exordiretur.

non suppetit, prorsus damnanda est poetae licentia. sed quod scripturam versus primi attinet, cuius rei causa potissimum in hoc epigrammate commoramur, Diltheyo videtur leni manu ita versui esse opitulandum

τύμβε, τίς ἦν πόθεν, ἠδ' ἔτι παῖς τίνος, ἔργα καὶ ὄλβον.

sic *τίς πόθεν* saepius consociatum invenitur apud epigrammatarios, qui Homeri usum sunt secuti (cf. Hom. Od. XXIV 298, XV 264, I 170, Il. XXI 150. praeterea inspice epigrammata ap. Kaibel. nr. 101, 1; 530, 1).

Sed properamus ad litteras Latinas, in quibus et ipsis tales verborum traiectiones, quamquam paulo rarius, sese offerunt. atque magno mihi est adiumento, quod complura eorum, quae huc afferri possunt exempla, Vahlenus recte interpungendo explicuit criticorumque ab iniuriis defendit in indice lect. aestivarum Berol. 1880 p. 12 sqq. idem structurae genus, quod in primis Euripidi familiare fuisse vidimus, ut in interrogationibus bipartitis alterum membrum priori interrogationi mediae interponatur, cum ex sententiae ratione postponi debeat, iam apud priscos poetas scenicos occurrit. in Plauti Menaechmis II 2, 44

satin hoc quod vides
tribus vobis opsonatumst — an opsono amplius?
tibi et parasito et mulieri?

haec orationis forma distinctione, ut oportet, adhibita clare apparet; nam verba 'an opsono amplius' ab enuntiato primario 'satin hoc tribus vobis opsonatumst, tibi et parasito et mulieri' plane sunt seiungenda atque in consueto dicendi genere sub finem ponenda. sed poeta, sermonis familiaris naturam haud dubie secutus, alterum membrum commodo loco interiecit, cum sic et linguae volubilitas coqui illius apte depingatur et oppositio, quae verbis 'satis opsonatumst an opsono amplius' continetur, clarius efferatur. congruenter alter Plauti locus conformatus est Trin. I 2, 87 sq.

emistin de adulescente has aedes — quid taces?
ubi nunc tute habitas?

his duobus ex coniectura Vahlenus p. 13 sq. exemplum Ennianum adiecit, cum versum Aiacis tragoediae (Ribb. p. 64) hunc in modum restituit

aliquod lumen — iubarne? — in caelo cerno.

simile interruptae constructionis genus, ut apud linguae Graecae scriptores, ita etiam apud poetas Latinos in imperativis mediae orationi interiectis invenitur. sed quae sunt vulgaria, ut Verg. Aen. XI 316 et similia, a consilio meo aliena puto; aliquo modo autem artificiosius comparata sunt duo exempla, quae Vahlenus p. 16 sq. attulit. e quibus unum extat in Vergilii Aeneide VIII 39 sq.

hic tibi certa domus, certi, ne absiste, penates,
neu belli terrere minis;

ubi imperativus 'ne absiste', quamquam ab altero 'neu belli terrere minis' verborum collocatione disiungitur, tamen arte cum eo coniungendus est, quod etiam particula 'neu' aperte declarat. atque pari artificiosae collocationis genere insigne est Ennii fragmentum ex Iphigenia servatum (p. 39 Ribb.)

procede, gradum proferre pedum,
nitere, cessas o fide?

nam certe maiorem poetae elegantiam, ut ait Vahlenus, relinquemus, si Festum secuti naturalem verborum ordinem ita solverimus 'procede, nitere, gradum proferre pedum cessas?' eodem revocandum est Catullianum illud 14, 21

vos hinc interea, valete, abite
illuc.

deinde huc spectant complures loci e priscorum poetarum scenicorum poematis, qui omnes magna similitudine inter se sunt cognati. itaque cf. Plaut. Aul. II 3, 4 sq.

heus, Staphyle, te voco,
ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.

proxime verba ita sunt coniungenda 'propera atque vascula intus pure elue'. vide Ritschelium in Neue Plautin. Excurse p. 59 not. 1. quod poeta verborum ordinem turbavit, aptissime

loquentis trepidam festinationem significavit. proxime ad similitudinem accedit Aul. I 2, 17 sq.

cultrum, securim, pistillum, mortarium,
quae utenda vasa semper vicini rogant,
fures venisse atque abstulisse dicito.

non satis certum est tertium exemplum Plautinum Epid. sub fin.

lumbos surgite atque exporgite.

verum procul dubio Terentius eodem hyperbati genere est usus Ad. V 7, 19 *tu illas abi et traduce.* atque utile ad comparandum est exemplum Ter. Phorm. II 3, 60 sqq.

etsi mihi facta iniuriast, verum tamen
potius quam litis secter aut quam te audiam,
itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet
dotis dare, abduce hanc, minus quinque accipe.

quo loco enuntiatum relativum 'id quod lex iubet dotis dare' ad verbum 'accipe' pertinet et alterum enuntiatum 'abduce hanc' interpositum est priori periodo. naturalem vero ordinem poeta secutus est paulo post II 3, 67

mercedem dare lex iubet ei atque amittere.

quae modo attuli exempla, omnia eo sunt insignia, quod inter obiectum et verbum, unde illud pendet, alterum verbum intervenit, quod praecedere debebat. originem vero hoc dicendi genus e sermonis praesentis facultate habet, atque causa in eo facile inveniri potest, quod oratione vehementer properante grammatica verborum collocatio animi impetu quasi superatur. neglegentia sermonis et brevitatis studium hyperbaton effecit Ter. Andr. V 1, 22

et nescio qui tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere;

hoc loco infinitivus 'dicere' et ad 'oblitus sum' et ad 'volui' pertinet; sed rectam et constantem verborum seriem secutus poeta 'volui' ultimo loco ponere debebat. iuvat in comparationem adscivisse Ov. met. XIV 30

dignus eras ultro, poteras certeque, rogari,

ubi verborum structuram ita solvas 'dignus eras ultro rogari et certe poteras scil. ultro rogari'.

Apud cultioris aetatis poetas non ita saepe tale hyperbaton occurrit, ut enuntiati constructio interposito altero verbo aut verbo et nomine interrumpatur. graviora tantum respicio. cf. Prop. IV 4, 15 sqq.

inque sinu carae nixus spectare puellae
incipiam, et titulis oppida capta legam,
tela fugacis equi et braccati militis arcus.

obiecta, quae versu 17 continentur, pendent a verbis 'spectare incipiam' et inserto altero membro dirimuntur. cf. Lachmannum ad Prop. p. 242, qui praeter Prop. IV 3, 41 sq., IV 6, 11 sq., Ov. am. III 14, 31—34 ex nostris poetis versiculos aliquos adduxit. per simile hyperbaton explicari velim Cat. 88, 1 sq.

quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
prurit et abiectis pervigilat tunicis.

verba 'cum matre atque sorore' coniungas cum 'pervigilat', ita ut 'prurit' per medium sit illatum. commemorandum est deinde huiusmodi verborum traiectiones saepe obsecundare numerorum necessitati vel commoditati, velut Luc. Phars. V 800

fertur ad aequoreas, ac se prosternit, arenas,

ubi attributum et substantivum more illo usitato hemistichia versuum concludunt. conferri possunt alia exempla quae quidem non intima cognatione cum hac nostra causa cohaerent, quorum autem comparatio suam habet hoc loco utilitatem; Ov. met. IV 340 sqq.

at ille
scilicet ut vacuis et inobservatus in herbis
huc it et hinc illuc;

(construendum est 'ut vacuis in herbis et inobservatus'), Ov. trist. I 8, 24, Luc. Phars. VIII 344

vidit ab Hyrcanis, Indoque ab littore, silvis.

itaque Catulli locus vario modo temptatus exemplis similibus satis defenditur 64, 184

praeterea nullo litus, sola insula, tecto.

duo enuntiata in angustum coacta vel copula 'est' carentia, ita sunt posita, ut inter sese quasi innexa esse videantur.

neque omnem huius artificiosi positus libertatem Vahlenus l. c. p. 17 recte detexit, cum exempla attulit, quibus apposita eleganter substantivis sunt inserta (qua de re vide § 8 sub finem); hi autem loci, quamquam non dissimili traiectione insignes, tamen ad Catulli versum proprio quodam et rariore transpositionis genere distinctum non bene faciunt.

§ 14. De collocatione quae dicitur *ὕστερον πρότερον*.

Rhetores Graeci inter hyperbati genera enumerare solebant *ὑπερβατὸν ἐν πράγματι* vel *ἐν νοήματι*, et grammatici Latini distinguebant hyperbatispeciem, quam 'prothysteron' vel 'hysteron-proteron' vocabant[1]). sed haec figura nostram causam minus attingit, cum in animi cogitatione tantum explicationem habeat et singularis traiectionis audacia hac in re non sit cognoscenda. vide Lobeckii Paralipom. grammat. graecae p. 64. tamen huius figurae, quoniam ab grammaticis ad hyperbaton est relata, commemorationem plane omittere nolebam. sed ne commorantem me aliena causa diutius retineat, paucissimis verbis defungar. omnibus locis illud est commune, quod ea, quae graviora sunt et plurimum ad sententiam valent, praecedunt, ea, quae minoris sunt momenti, postea subsequuntur, quamvis temporis aut loci ratione habita initio poni debuerint. facili negotio nubem exemplorum colligere liquet; sufficiant haec Hom. Od. V 264 (vide Schnorr v. Carolsfeld p. 84 sqq.), Soph. O. R. 1091, Eurip. Or. 814 etc.; Verg. Aen. II 353, Hor. sat. II 3, 294; Plat. rep. IV p. 436 a, Xenoph. mem. III 5, 10. inspice Kuehneri

---

[1]) Hoc schema fortasse etiam Varro intellegi voluit, cum haec scriberet in sat. Menipp. ed. Buech. p. 167 frg. 6 *nam in omnibus legi καθ' ὑπερβατὸν: ne dares, ne polliceres, quod datum est.* haec enim verba explicari non possunt, nisi statuas Varronem naturalem ordinem ita constitutum flagitasse 'ne polliceres, ne dares, quod datum est'.

gramm. lat. II 2 p. 1080 et Classenii commentationem in libello Beobachtungen über den hom. Sprachgebrauch p. 200 sqq.

Ut autem disputationem, quae tota fere in insolentioribus est versata, minus tritis rebus finiam, seligam corollarii loco duos Euripidis versus, de quibus breviter dici potest. itaque contemplare mihi Eurip. Hel. 446

πείθει γὰρ οὐδὲν ὧν λέγω· σὺ δ' αἴτιος.

naturalis sententiarum series haec est *σὺ δ' αἴτιος· πείθει γὰρ οὐδὲν ὧ λέγω.* sed ut in vulgari et praesenti sermone saepius logicus verborum nexus est neglectus, sic hoc loco poeta traiectione cottidianum dicendi genus est imitatus; simul autem incitatum loquentis animum perturbatione illa depinxit. quacum collocatione confer similem locum Eurip. El. 284

νέα γάρ, οὐδὲν θαῦμ', ἀπεζεύχθην νέον.

Iam summa propositi pro virium modulo completa pedem sistamus. quodsi de nonnullis, quae commemorata exspectabas, silentium est, ea partim, utpote satis explorata et vulgaria, data opera exclusi, partim commentationis titulo defendo. quod autem in praesenti disputatione fidem librorum accuratius sum secutus neque gloriosiori illo coniectandi studio me totum tradidi, recte fecisse mihi videor. exempla enim hyperbati in hoc libello congesta, etiamsi singula per se spectata audaciora saepe, quam quae ferri possint, appareant, in genera digeri sociarique vides, intra quae similitudo et affinitas pertenui discrimine diducta etiam singularem quae videatur insolentiam plerumque satis tuentur, ne praepropera mutatione sermonis libertatem artisque rationem compescamus. sed postquam figuras liberioris vocabulorum collocationis perlustravimus singulas singillatim, ut suscepto munere recte defungamur, de eisdem nobis nunc disputandum est in universum.

Si quis causas, quibus diversissimae verborum traiectiones explicandae vel excusandae sint, exquiret, has ex propria cuiusque loci conformatione aestimandas esse intelleget; nulla igitur

reddi potest ratio, quae ad omnia hyperbati exempla una conveniat, cum modo gravitati orationis consultum videatur, modo concinnitati, hic elegantia et subtilitas, illic subitae et immeditatae orationis species quaeratur, denique etiam complures eodem loco concurrant rationes, inter quas haud raro invenitur versus pangendi commoditas. tamen id comprobatum esse mihi videtur duas prae ceteris rationes insolentiorem verborum seriem effecisse. saepissime enim illud studium observavimus, per quod et pugnantia secum et similiter sonantia artissime coniungi solent; haec autem consociatio et ad aures acrius accidit et animum diutius in eadem cogitatione defigit, persaepe intellectum adiuvat orationemque reddit fortiorem et efficaciorem. quam enim late pateat in sermone Graeco et Latino contentio, per quam contraria conectuntur, non est ignotum; neque minus celebrata est altera ratio, illa vocabulorum sono congruentium compositio (cf. Lobeckii Paralip. gramm. graecae, dissert. I § 11). itaque a linguae natura profecti poetae et scriptores illud collocationis genus in artificium verterunt, cum audacter insolenterque vocabula traicerent, ut consuetudini illi obsequerentur.

Quod autem poetae saepius vocabula arte cohaerentia distrahere solutissime et quae e legibus a natura praescriptis aliis proxime adiungenda erant, liberrime in alienum locum transponere non sunt veriti, hoc ipsum aliqua ex parte linguarum indole explicandum est. nam nisi sermonis facultas ipsa ad quandam in verbis disponendis licentiam se facilem praebuisset, omnino poetis non licuisset illam, qua usi sunt, libertatem adsciscere, quippe quae insueta audientium auribus impeditura fuisset, quominus carmina eorum et intellegerentur et placerent. hanc opinionem, cum nitatur ratione et iudicio, confirmant maxime ea liberioris collocationis exempla, quae ex Plauti comoediis congessimus; huc spectant ante omnia hyperbata enuntiationum relativarum et collocationes quae dicuntur *διὰ μέσου*, quibus locis poetam non ornatum et elegantiam quaesivisse, sed communis sermonis sectatum esse consuetudinem manifestum est. eodem pacto inter artificiosa hyperbati genera non referendus est insignis ille verborum ordo, quo apud Plautum et Terentium

membrum sententiae primariae in enuntiatum secundarium nonnunquam admodum licenter transgreditur; sed et ipsa haec vocabulorum traiectio in commerciis cottidiani sermonis celebrata esse videtur, cum e quadam neglegentia orta sit, qua qui loquitur in ipso demum eloquendo cogitationem perficit. linguae igitur natura admittit, auctorum ars quaerit dispositiones verborum a consueto dicendi more remotas. verum enimvero quam maxime est cavendum, ne, quasi temporum et poetarum eadem in omnibus omnium esset ratio, animum parum advertamus ad cognoscenda discrimina, quibus poesis et genera et aetates inter se distant. velut e contrario sibi opposita sunt Homeri quasi vivax et nativa in verbis distribuendis libertas atque doctum quaesitumque artificium poetarum Alexandrinorum, 'quippe qui orationis insolentia lenocinia et colores carminibus addere' studuerint. neque minus liquet ab hac parte inter se differre poetas comicos sermonis in ore hominum viventis consuetudinem sectantes et dithyramborum scriptores mentis inflammatione ultra iustos fines saepe evagantes.

Atque antiquissima carmina usque ad nostram aetatem tradita Homeri sunt, quae quamquam non ab uno poeta composita, tamen una fere forma sunt percussa. quod ad eius verborum collocationem pertinet, in universum quidem Bergkio assentimur, qui ita iudicat (Griech. Literaturgesch. I p. 865) 'Die Wortstellung ist im ganzen einfach und naturgemäss; im einzelnen Falle wird sie jedoch nicht nur mit Freiheit, sondern selbst mit einer gewissen Kühnheit behandelt'. quod ut accuratius intellegatur, graviora repeto. articuli quidem hyperbaton, quod fit per vocem pondere graviorem, nunquam fere est adscitum; at ex illis locis, ubi pronomine *ὁ δέ* per anticipationem designare solet rem paulo post per nomen ipsum disertius indicandam, dimanavisse videtur recentiorum usus articulum audacissime a substantivo seiungendi. praepositiones deinde haud ita raro licentius a casibus suis distrahuntur; in adverbiorum traiectione poeta et ipsam orationis perspicuitatem neglexit; figuram *ἀπὸ κοινοῦ* in levioribus vocabulis admisit, in distribuendis substantivis et attributis hic illic artificiosam seriem

praetulit, sed etiam tale quid ausus est τάφρῳ καὶ σκολόπεσσιν ἐνιπλήξαντες ὀρυκτῇ. participia quoque et, quae ab eis sunt suspensa, saepe elegantiae et aequalitatis studio commotus insolentius per sententiam dispescuit. quod autem posteriores verba enuntiati primarii et secundarii liberrime transposuerunt, ab hac parte Homerus satis est moderatus. denique collocationem διὰ μέσου, ut structuram verbi interposito altero interrumperet, quam maxime frequentavit. itaque carmina haec, quae conformarunt elocutionem epicam, in verbis traiciendis quasi prima lineamenta duxerunt, et quam posteriores sibi adsciverunt, eius audaciae initia quaedam et quasi praeludia multo plura, quam vulgo putant, iam in illis animadvertuntur. sed quod saepius observavimus, illam verborum dispositionis insolentiam e natura Homerici sermonis, qui ut cera mollis adhuc formari ac fingi poterat neque severioribus periodi legibus astrictus firmam habebat compagem, tanquam e fonte suo derivandam esse iterum monitum volo. attamen etiam elegantiae studium et certum consilium haud raro illic deprehendimus.

Epicae poesis aetatem deinde secuta est alia, quam lyricam appellare possumus. huius aetatis poetarum paene omnium carmina iniuria temporum deperdita sunt, ita ut non accurate diiudicare possimus, quantum in traiectione vocabulorum illi ultra Homerum sint evagati. quae iactura eo magis est dolenda, quod non extat prioris aevi poeta, quem ad Pindari artem et audaciam ubique in comparationem vocemus. si vero e paucitate exemplorum, quae ex ceteris poetis lyricis in hac commentatione comparata sunt, coniecturam licet periclitari, suspicor nonnullorum insolentis transpositionis generum, quibus posteriores, Alexandrini maxime, delectati sint, originem in horum poetarum imitatione esse quaerendam. cuius suspicionis probabilitatem ad perfectam veri similitudinem paene perducit Pindari usus. huius enim poetae cum animi cogitationes paulo reconditiores, tum inusitata et inaudita fere verborum mixtura plerumque obstant, quominus singula facile intellegantur. neve credas veteres primo statim obtutu Pindari versus etiam difficiliores quosque perspexisse, sed eis ipsis opus erat animi

attentione et verba construendi labore. oratio enim grandis atque elata, interdum furoris divini afflatum simulans ultra vulgaris elocutionis fines licenter evagatur. accedit longus periodi ambitus, qui se facilem praebebat ad singula vocabula liberrime per versus turbanda. ut nonnulla insigniora ex eis quae disputavimus breviter attingamus, magnam licentiam assumpsit in hyperbato praepositionum, quas ponderosis vocabulis a nominibus discerpsit, atque hanc libertatem pro numero multo saepius sibi permisit quam poetae tragici in canticis. deinde substantiva et attributa artificiosissime dissipavit, ita ut nonnunquam sententia perobscura et consulto abscondita videatur. omnia fere eiusdem enuntiati membra crebro eleganter simul et insolenter inter se implicata posuit atque quae sententiae primariae includenda erant, ea ad oppositionis vim augendam primariae praefixit. hanc quam agnovimus in verbis disponendis Pindari licentiam si quis comparaverit cum Aeschyli, aequalis eius, consuetudine, quam ille in melicis secutus est, haud sane falso coniciat ad Pindari audaciam Aeschylum minime processisse.

Iam delati sumus ad Graecorum poetas tragicos. atque ratio, quae inter tres illos tragicae musae principes intercedit, si universam eorum artem poeticam respicis, eadem etiam in collocatione verborum aliquo modo cognoscitur. cum Aeschyli grandi simul ac severo dicendi genere (cf. Bergkii griech. Lit. III p. 347) congruit vocabulorum positio, nam insolentiorem et contortam verborum seriem modeste admisit. tamen nonnunquam ad vigorem orationis augendum consuetum ordinem ad inusitatum deflexit. huc in primis cadunt hyperbata articuli et praepositionum (Ag. 827 et Prom. 66); maxime autem sibi placuisse videtur in iuncturis pronominum *αὐτὸς αὐτοῦ* et in substantivorum cum attributis nexa et iugata dispositione; etiam verba duarum sententiarum ad notionem aliquam efferendam aut ad animi aestuantis perturbationem depingendam passim inter se perplexit. sed in summa quidem ab hac parte satis est temperatus. contra multo maior audacia in Sophocle conspicitur, qui et saepius a naturali ordine decessit et insolentius usitatam verborum seriem immutavit; reputandum vero est non superesse

fabulas Sophoclis eo aetatis artisque gradu scriptas, quibus poetae sermonem Aeschylio similiorem fuisse putandum est. in septem autem fabulis superstitibus Sophocles elocutionis aptae, elegantis, subtilis artificium sollertissimum prodit et, ut grata varietate distinguat orationem, operam dat impensam. atque hac quidem contentione, qua a nemine fere e poetis cognatis superatur Sophocles, admonemus eum vidisse studia priorum sophistarum, qui elocutionis artem condebant. quo fere tempore Antigone, septem quas habemus fabularum antiquissima, scripta est, Protagoras Athenis sedem fixerat, et haec quidem docta est a. 441. novissima superest fabula Oedipus Coloneus, paucis annis post mortem poetae primum acta, qui obiit a. 405; atque in hac frequentiora quam in ceteris insunt exempla insolentis verborum dispositionis, plus omnino comptae elegantiae artisque quaesitae. in articuli et praepositionum traiectione Sophocles eisdem fere, quibus Aeschylus, se continuit finibus; substantiva eorumque attributa elegantissime implectere perquam amavit, omnino in variis sententiae membris transponendis orationem ad venustatem componere studuit, ita ut compluribus locis quadam ambiguitate perfunderet sermonem. etiam verbum enuntiati primarii per hyperbaton inseruit secundarii structurae et haud raro constructionem incohatam interposito altero verbo interrupit. Euripides deinde, cuius loquendi genus in universum quidem ad communem sermonem et comicorum orationem proxime accedit atque intellectu minus difficile est (cf. Bergkium l. c. III p. 595 sqq.), singulis tamen locis audacissime verba traiecit et quasdam hyperbati species in deliciis habuisse videtur. illam hyperbati formam Aeschylo quam maxime familiarem, ἐπ᾽ αὐτὸς αὐτῷ similia, consulto repudiavit; at in bipartita oratione substantivum et attributum in duas enuntiati partes distribuere impense amavit, verbum finitum saepius e sententia primaria in secundariam transposuit, in collocatione διὰ μέσου ad loquentis affectum significandum valde sibi placuit (cf. Pflugkium ad Eurip. Hec. 605). omnino autem Euripides in verbis traiciendis minime attingit Sophoclis copiam et curiosam diligentiam, sed praeter insuetas illas voca-

bulorum dispositiones ad cottidiani sermonis naturam pertinentes haud ita variis hyperbati generibus artificiosis utitur, eisque talibus, quas socordius frequentet.

Ne Aristophanem silentio praetereamus, pauca adnotaverim. quas ille sibi permisit insolentiores verborum collocationes, non omnes e cottidiani sermonis facultate sunt adscitae; antiquae enim comoediae Atticae sonus ab oratione vulgari plurimum distat; ornatum quoque et gratiam iucunditatemque sibi parat; tamen eae inusitatae transgressiones, quae in dialogo inveniuntur, nisi tragicorum locutiones imitando poeta deridere vult, aliquo modo e linguae natura ipsa emanarunt et referunt nonnunquam speciem communis Graecorum in cogitando alacritatis et quasi agilitatis.

Priusquam ad Alexandrinorum aetatem transeamus, Thucydidis mentionem iniciamus, cui grammatici veteres propter contortam et duram vocabulorum collocationem litem intendunt. certe enim, ut ex exemplis allatis apparet, passim iustos fines transgressus esse videtur, cum ceteri scriptores multo minus in verborum traiectione novaverint. sed id ipsum qua ratione factum et excusandum sit, pervestigandum erit. atque in hac re eadem ratio intercedere videtur, quam in Homerico sermone attigimus. Thucydides inter primos Atticos fuit, qui prosam orationem artis participem ac talem condiderunt, quo quis scriptor in litteris uti posset. in illo enim libello, qui *Ἀθηναίων πολιτεία* inscriptus et sub Xenophontis nomine servatus antiquissimum fere Atticae prosae documentum extat, omne dicendi genus a cottidiani sermonis simplicitate vix multum differt; Thucydides autem ubi ex solito variare atque artificii et dignitatis aliquid scriptis suis quaerere contendit, quod nondum certis legibus et consuetudinis vi impediebatur, prope accessit ad poeticam licentiam verba insolenter transponendi.

Recentiores deinde poetae, qui vocantur Alexandrini, in vocabulorum traiectione utuntur magna et singulari libertate. articulum et praepositionem saepe graviori vocabulo seiunxerunt; particulas quoque copulativas crebro initio enuntiati detraxerunt. eiusdem enuntiati partes audacissime per versum turbarunt et

infinitivi aut participii constructioni immiscuerunt, quae eo non pertinebant. deinde sententiam primariam et secundariam singulis verbis solutissime traiectis in unam quasi conflare et coartare adamabant. maxime autem figura ἀπὸ κοινοῦ, quam creberrime usurpabant, elegantiam quandam quaesiverunt. omnino denique longissime processerunt in verbis insolenter diducendis. verumtamen id est notandum, omne fere hyperbati genus apud Alexandrinos poetas obvium priores poetas praeivisse atque semina iam in Homeri carminibus deprehendi. atque cum illi in hac parte eorum potissimum poetarum antiquorum, qui admodum licenter verba transposuerunt, artem imitati esse videantur, probabile est, si plures hymnorum ac dithyramborum scriptores aetatem tulissent, futurum esse ut illorum exemplum eos consectatos esse clarius appareret. quod orationis conformandae genus potissimum manavit ex studio illo Alexandrinorum, ut soliti et consueti fastidium vitarent et exquisitiore minusque trita dictione lenocinia ac novam iucunditatem carminibus suis pararent. in illa autem quam modo cognovimus contentione nonnumquam parum prospiciebant perspicuitati sermonis; saepius enim verborum transgressione oratio ambigua vel minus dilucida existit, cum voces iuxta positae reperiantur, quas e grammatices quidem legibus coniungere possis, quamvis sententia cum remotioribus eas construere suadeat. sed et hanc ipsam orationis obscuritatem iam ab antiquioribus admissam esse vidimus, ita ut ne ab hac quidem parte prorsus insueta novaverint. at certe quamquam cupidius et maiore cum licentia poetae Alexandrini orationem ambiguam conformarunt, non tamen inconsulte id fecerunt, sed ut artis studium et sollertia eluceret. quae sermonis obumbrandi cura maxima cernitur in Lycophronis tenebricoso dicendi genere, quo doctis lectoribus vere ἀπορίας obiecit solvendas. eodem redit carmen figuratum, quod Theocrito iniuria adscriptum 'Syrinx' appellatur, cuius perplexae et ancipites sententiae Oedipo certe sunt dignae. sed poetae Alexandrini quamquam nonnullis locis insueta licentia in verbis transponendis sunt usi, tamen si Lycophronem, qui saepe fines linguae facultate con-

cessos transiluerit, excipimus, moderationem quandam adhibuerunt. recentiores vero epigrammatum scriptores et Latinorum poetae elegiaci, ut fieri assolet in imitatoribus, ea, quae isti passim sibi permiserunt, pro vulgaribus paene arripuerunt et saepe maiore audacia superarunt. quod autem posteriores epigrammatum auctores in his figuris pleraque ab Alexandrinis accepisse diximus, non multum oberit huius suspicionis probabilitati, quod non in unoquoque genere Alexandrina exemplaria eos secutos esse possumus demonstrare. reputandum enim est, maximam partem carminum Alexandrinorum exquisitiore oratione scriptorum periisse (cf. Hauptii op. I 126). Romanorum autem poetarum elegiacorum ratio paulo accuratius esse videtur explicanda, sed antea de priscis poetis scenicis pauca monenda sunt.

Plauti verborum traiectionum iam supra mentionem fecimus, ubi de sermone vulgari, et ipso ab hyperbatis insignibus nonnullis non abhorrente, disputavimus. eis autem evincitur Romanae linguae facultatem per se ipsam ad liberiores vocabulorum collocationes semper fuisse propensam, quamquam complura hyperbati genera in Graecorum officinis conficta ad poesin Latinam traducta sunt. itaque eorum sententiae me non addico, qui, sicubi congruit Latinus sermo cum Graeco, ad Graecam originem continuo omnia referentes totam verborum dispositionis insolentiam ab imitatione Graecae linguae repetunt. quomodo illi constare sibi volunt in illis insuetae collocationis locis, quibus Romanorum poetas comicos cottidianam vulgi consuetudinem sectari manifestum est neque suppetit prorsus compar geminumque exemplum e litteris Graecis? quanto autem rectius libertatem in verbis transponendis e Latinae linguae natura per se ipsa ad vocabulorum traiectionem habili atque tractabili derivabimus! sed imitationem carminum Graecorum provexisse facultatem illam linguae ingenitam quis est qui neget? neque inde nostrae sententiae aliquid accedit dubitationis, immo confirmationis. quippe nisi poetae in hoc genere proferre volebant, quod ut antea inauditum lectores intellegere omnino non poterant, necesse est sermonem ipsum talis audaciae

praebuisse potestatem. atque si Plautum et Terentium comparaveris, quomodo ab hac parte differant, illum invenies maiore libertate frui quam Terentium, exemplaris instar Graecorum comoedias imitantem. et certe Plautus, cum plerumque e cottidiani sermonis consuetudine simplicem verborum ordinem sequatur, nonnunquam difficiliores traiectiones exhibet, quae ad politissimae aetatis audaciora exempla proxime accedant.

At cum poetarum Alexandrinorum carmina Romae frequenter lectitari coepta essent, etiam in verbis collocandis maior licentia simul et elegantia percrebruit novaque hyperbati genera ad poetarum usum sunt delata. A Catulli fere aetate cognoscitur illud studium, Graecorum, praesertim Alexandrinorum, insuetas vocabulorum transgressiones imitandi. inde explicandae sunt in primis celebratae illae seiunctiones praepositionum, quas priores poetae praeter quam in obtestationum formulis admodum raro a casu distrahere solebant; inde particulae conexivae in medium orationem saepissime transpositae; indidem consuetudo verba ad bipartitam orationem vel duas sententias pertinentia ita disponendi, ut alteri hoc, alteri illud assignetur, etiam figuram ἀπὸ κοινοῦ Alexandrinis usitatissimam huius aevi poetae saepissime et audacissime adsciverunt, ut hinc iucunditatem et gratiam consequerentur. deinde primarii et secundarii enuntiati singula membra vario modo inter se turbarunt; in substantivis autem eorumque attributis transponendis certas quasdam formulas numeris aptatas in consuetudinem commodam verterunt. denique et ipsam structurae perspicuitatem et evidentiam, Alexandrinorum vestigia in primis prementes, verborum traiectione consulto perdiderunt, ut lectorem supinum paene laqueis subdole structis irretirent. atque si recentiorum poetarum Latinorum consuetudinem in universum perlustramus, ultra fines ab Alexandrinis constitutos processisse videntur illorum sectatores, quod constat plerumque usu venire. omnium vero summus artifex in rebus, quae nostram causam attingunt, extitit Ovidius, qui peculiari quadam audacia in verbis traiciendis enitet; illi, quo distinctior erat verborum consecutio, eo magis digna videbatur imitatione. huc, ut unum dumtaxat repetam momen-

tum, faciunt versus illi dissecti, quibus propter periodum minutatim concisam et distorta veluti orationis membra Ovidius prae ceteris est delectatus. licet his et similibus ambitiosis artificiis, quae larga manu poeta per carmina sua disseminavit, orationem ad versus pangendos saepe commodiorem reddiderit, tamen sine dubio magis etiam comptam venustatem et subtilem elegantiam, interdum dignitatem et gravitatem quaesivit.

Addenda.

Typographi culpa mihi non licuit primas duas huius opusculi plagulas accurate corrigere, quo factum est, ut in punctis, commatis et nominum propriorum terminationibus nonnullisque aliis rebus rectam et constantem rationem illic desideres. quod quamquam aegre ferebam, tamen, cum tempus urgeret, detrimentum illud sanandi mihi erepta est facultas.

p. 6 l. 28 pro 'ed at' lege 'et ad'. — p. 9 l. 7 'hyperbaton' lege pro 'hyberbaton'.

p. 12 l. 16 scribendum est *ὁδοιπόρε* pro *ὁδοίπορε*. — huc referenda sunt Callimachi verba ex h. in Delum secundum Wilamowitzii emendationem, v. 163 sq.

οὐ τὴν ἐπιμέμφομαι οὐδὲ μεγαίρω
νῆσον, ἐπεὶ λιπαρή τε καὶ εὔβοτος, εἴ νύ τις ἄλλη,

ubi codd. *οὔτ' οὖν*.

p. 13. in Antipatri Macedonis epigr. non solum numerorum necessitate articulus traiectus est, sed ut oratio bipartita clarius eniteret. similiter articulus apud poetas illos epigrammatarios bis ponitur, ubi semel tantum eum poni oportebat. — particula *ἤ* traiecta est etiam Callim. h. in Del. 320 sq.

καὶ οὐ πάλιν αὖτις ἔβησαν,
πρὶν μέγαν ἢ σέο βωμὸν ὑπὸ πληγῇσιν ἑλίξαι
ῥησσόμενον,

ubi Wilamowitzius *πρὶν κεραόν*; num recte, dubito.

p. 15 l. 4 lege *Κρίτιου* pro *Κρισίου*; l. 24 pro 'hermam' lege 'Hermen'. l, 31 post verba 'simul alterum afferens articuli pronominibus personalibus praepositi' inseras vocem 'exemplum'.

p. 19 l. 21 verba in hunc modum ordines 'huc pertinent complura etiam eorum'.

p. 21 l. 4 scribendum erat ἀμίν pro ἀμῖν. — quod dixi aliquam probabilitatis speciem habere Meinekii scripturam in Theocriti versu id XVI 4, iterata cogitatione aliter iudico; nam et grammaticae constructionis et rythmi aequalitas in versu proxime antecedente impedit, ne verbum post βροτοί incidamus.

p. 22 l. 14 scribas 'praepositio' pro 'praposítio', l. 18 μέλεσθαι pro μελέσθαι.

p. 23 l. 13 πηλίκον lege pro πηλίκον, item l. 14 τηλίκον pro τήλικον.

p. 24 l. 35 lege 'recte' pro 're'.

p. 25. cave putes me contendere, articuli traiecti consuetudinem esse unice explicandam Homerici sermonis imitatione. immo innata linguae Graecae indoles, ut in omnibus hisce rebus, sic in hoc quoque usu poetis facultatem dedit articuli audacter transponendi; sed ipsa illa linguae natura apud Homerum primum se praebebat et ad imitationem trahebat. — de anastrophe praepositionis, quae genuina est collocatio, praeter Delbrueckii commentationem allatam inspice Benfeyum, Goetting. Nachrichten 1878 p. 175 sqq.

p. 27 l. 11 et 12 ordinem verborum ita constituas 'scriptores quoque Attici'. l. 25 pro XIII 347 scribendum erat III 348 et pro πενίχρου: πενιχροῦ.

p. 28. serius comperi, Diltheyum de Philodemi epigrammate egisse in indice lect. Gotting. 1873 p. 12. — l. 18 lege καύματος pro καίματος.

p. 30 l. 6 scribendum est αἰτήσεως pro εἰτήσεως.

p. 32 l. 18 post 'Il.' inseras: X.

p. 41. G. Kaibelus in indice scholarum Gryphiswald. a. 1885 (Philodemi epigrammata) p. 23 observat, in Anytae epigrammate anth. Pal. VII 215 v. 3.

οὐδὲ περὶ σκαρθμοῖσι νεὼς περικαλλέα χείλη
ποιφύσσω, τὠμᾷ τερπόμενος προτομᾷ,

praepositio περί si cum accusativo χείλη iungatur, omnia sana esse. — in Callimacho fragmento animadvertas casum vocativum

inter praepositionem eiusque nomen intercedere; de grammatica vocativi illius ratione cf. Bernhardyi synt. p. 465 et Hertzbergium ad Prop. II 15, 2. — in Lucilii fragmento p. 72 v. 642 edit. Lachm. 'in' mutatum est in 'id'; pro 'spectatur', quae Muelleri est coniectura, traditum est 'superatur'.

p. 58. cf. h. Orph. 2, 12 *μάκαρ ὦ νύξ*. hinc videtur ea particulae *ὦ* collocatio hymnorum stilo sollemni maxime propria fuisse.

p. 62. in Lucilii loco Lachmannus p. 118 v. 1068 hanc dedit scripturam

principio exitu' dignus exodiumque sequetur;

atque alterum locum, ubi Muellerus eandem particulae 'que' traiectionem intellegit (p. 58 fr. 2 *firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum*), ille ita constituit p. 42 v. 368

firmiter hoc peniteque tuo sit pectore fixum.

p. 99. cf. etiam Hesiod. theog. 386 *τῶν οὐκ ἔστ' ἀπάνευθε Διός, δόμος* ubi *τῶν* pendet a *δόμος*.

p. 114. exemplum illud e Batrachom. petitum, cum in tragicis similia habeat, ex eis sermonis indiciis esse videtur, quae illius carminis originem bellis Persicis aequalem vel etiam seriorem monstrant.

p. 153. Iliadis locum XX 463 in incerto reliqui; verum cum *ἀντίος γούνων ἔρχεσθαι* e sententiae ratione dici vix possit — nam *ὅστις τοῦ γε ἀντίος ἔλθοι* Il. V 301 et, quae sunt similia, ad illud minime conveniunt — Wolfii et Spitzneri opinioni me addicere malim, qui *λαβών* traiectum esse putarunt.

p. 185. quod dixi, omnino in prioribus Sophoclis tragoediis elocutionem non multum afuisse ab Aeschylis consuetudine, hoc et per se consentaneum est et veterum testimonio confirmatur; cf. Bergkii hist. litt. gr. III p. 373. — ex Euripidis fabulis nonnulla ad nostram quaestionem pertinentia composuit Fraccalori, de Euripidis scribendi artificio (Augustae Taurinorum 1885) p. 69 sq. notabile est exemplum, quod ego non attuli, Hel. 317—319.

Index locorum, qui aut accuratius explicantur aut emendantur.

Conspectus capitum.

Vita.

Natus sum Henricus Boldt Hildesiae anno huius saeculi LXI, Carolo patre, matre Wilhelmina e gente Werner, quibus utrisque gaudeo vivis. fidem profiteor catholicam. gymnasii Iosephini, quod floret in urbe patria, postquam alumnus fui per octo annos usque ad auctumnum anni LXXIX, maturitatis testimonio instructus Gottingae itemque Bonnae per sex menses philologiae studiis operam dedi. dein Gottingam regressus ea ibi continuavi usque ad auctumnum anni LXXXIII. abhinc quindecim fere menses domi commoratus sum, ut studia explerem. docuerunt autem me viri illustrissimi Bernays, Buecheler, Kekulé, Wilmanns Bonnenses, Baumann, Dilthey, Goedeke, Lotze, W. Mueller, Sauppe, Volquardsen, Wagner, Weiland Gottingenses. praeterea Sauppii et Diltheyi comitate mihi concessum est, ut sodalis ordinarius essem seminarii philologorum Gottingensis; seminarii paedagogici aditum mihi aperuit Sauppe. — quibus cum omnibus viris quantum debeam, vix dicere possum, tum Diltheyo gratiam habeo atque habebo quam maximam. ille enim et causam praebuit huic dispentationi lectionibus publicis, quas de Propertio habebat, et laboris mei fautor deinde assiduus insigni cum benevolentia extitit.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

Bolat

141440